



**Bartholomaei Facii Genvensis, Viri Doctiss. De Vitae Felicitate,  
seu Summi boni fruitione Liber. : Qui ante annos quidem plus  
minus centum scriptus, nunc primum in locos communes  
digestus, excuditur.**

<https://hdl.handle.net/1874/456641>

5


BARTHOLOMÆI  
FACII GENVENSIS, VIRI  
Doctiss. De Vita Felicitate, seu  
Summi boni fruitione  
Liber.

Qui ante annos quidem plus minus centum  
scriptus, nunc primùm in locos com-  
munes digestus, excuditur.



ANTVERPIÆ.  
Ex Officina typographica Christo-  
phori Plantini.  
1556.  
Cum Priuilegio.

**C**ÆS. MA. priuata lege  
sanxit, nequis Typogra-  
phus, aut Bibliopola hūc  
Bartholomæi Facij de Vitæ feli-  
citate Librū, hinc ad triennium,  
præter Christophorum Planti-  
num Typographum, imprimat  
aut diuendat.



P. de Lens.

ANVERSIAE  
Christophorus Plantinus  
1574  
Cum Privilegio

# MAGNIFICO

D. CHRISTOPHORO

HALLER, AB HALLERSTEYN,

Cæs. Ma. Consiliario, Christo-  
phorus Plantinus,

S. P. D.



*V* M, iuxta vitæ meæ  
institutum, omnis mea  
industria, conatus, labor,  
vires, pertinaciter eò ten-

dant, vt hac mea typographica arte,  
prosim quibusuis, presertim rei litera-  
riæ studiosis, non desino quemuis mo-  
uere lapidem, vt aliquid hîc illic dis-  
quirêdo fortè inueniã, seu id sit recēs,  
seu sit vetustū, quod lecturis aut vti-  
litate, aut delectationem, aut potius  
vtrumq; adferre, & ad virtutem, ad

## EPISTOLA

probatos mores conducere possit. Ceterum cum id sedulo ago, ecce forte fortuna peropportunè mihi offertur quidam, vetusto charactere satis eleganter, in membrana, manu scriptus, cui titulus Bartholomæi Facij, de Felicitate vitæ humanæ. Eum autem mihi offert, Jacobus Gisellenius, Academia Louaniensis alumnus, bonarum literarum cultor eximius, typis nostris, siquidem in studiosorū rem videretur, excudendum. Consulo amicos, ij, respecta libri raritate, utpote qui antehac nunquam excusis, atque etiam à perpaucis visus est, suadent serio ut omnino excudatur, præsertim, cum tractet materiam mortalibus adprime utilem. Porro cum iam ad editionem properarem, rogo amicos, maximè autem

## EPISTOLA

tem Ioannem Crombetium, tuorū, hu-  
 manissime Christophore, iam pridem  
 liberorū Pedagogū, quo viro valde fa-  
 miliariter vtor, cui nā potissimū eum  
 libellū veterū, iamq̄ recepta consuetu-  
 dine, dicare pergamis: varijs, idq̄ gra-  
 uibus & efficacibus rationibus, et cau-  
 sis luculenter adductis, seriō hortatur,  
 vt tibi, nimirū Christophoro, ipse Chri-  
 stophorus, id muneris offerrem. Ego  
 quidem perpensis illius rationibus &  
 causis, suasioni suae facilē assentio, li-  
 bellum iam excusum tibi offero, tibi  
 inscribo, dicoq̄. Prodit igitur sub tui  
 nominis auspicijs, Facius iste, diutur-  
 nis erutus tenebris, quibus iam per an-  
 nos plus minus centum, per paucis co-  
 gnitus, in situ & squalore, cum tineis  
 & blattis depugnans delituit. Claruit

## EPISTOLA

siquidem temporibus Laurentij Val-  
 læ, Nicolao. V. Pont. Max. circa an-  
 nos Christi. M. CCCC. XL. & L.

Fuit is Facius, natione Ligur, patria  
 Genueñ. acer aduersarius Laur. Val-  
 læ. Scripsit in eundem Vallam Oratio-  
 nem inuectiuã, cui ille respondit qua-  
 tuor recriminationum libris. Scripsit

& ad Alphonsum Aragonũ Regem,  
 hunc libellum de Vita & felicitate. Item  
 ad Nicolaum. V. Pont. Max. librum

de Hominis excellentia. Reddidit La-  
 tinè Arrianum Nicomediensem, scri-  
 ptorem Græcum, de Rebus gestis Alex-

xandri Magni. Fuit familiarissimus  
 Antonio Panormita, Poëtæ elegiaco,

per id tempus vel omnium præcipuo.  
 Quem Antonium in hoc libello secun-  
 dam à se personam, secum philosophã

tem

EPISTOLA

tem inducit. Quòd si nostrum hunc  
laborem tibi arrisisse, blandisq; vlnis  
abs te acceptum intellexero, id pluri-  
mum gaudebo, mihiq; (etiam vltro  
currenti) ad similes conatus gran-  
de addideris calcar. Vale.

Antuerpiæ, ex officina  
nostra Typogra-  
phica.

VII. Idus Ianuarij.

Anno. 1556.



EPISTOLA APO-  
LOGETICA.

BARTHOLOMÆVS FACIVS

ROBERTO STROZAE,

Viro nobili & disertō,

S. P. D.

**A**NIM ADVERTI, Vir orna-  
tissime, ex literis tuis perbreuibus, id  
quod per hosce dies ex te audiui, vide-  
ri tibi Lamolam, cui partes dialogi  
mei tribuo, nimis facile concedentem Guarino om-  
nia: quod & quidam alius (quem honoris causa  
non nomino) dixisse fertur. At enim Lamolam,  
victas vbique præbere manus, quasi nescientem  
obiccta confutare. Ab ista ratione, vt me tibi di-  
xisse memini (pace tua loquar) longè Roberte dis-  
sentio. Nam si vnâ res tantū mihi tractanda esset,  
fortasse hoc quod dicis, probaretur magis. Sed  
cū mihi propositum sit, omnes artes ingenuas, at-  
que omnia scientiarū genera percurrere, nunquam  
esset inuentus disputationi meæ exitus, si Lamolæ  
Guarino, & Guarinum Lamolæ sæpius contra-  
dicentes ac repugnantes inducerem. Idque cū pri-  
mum efficere tentassem, prolixitatis, præsertim non  
necessariæ, fastidio permotus, à proposito meo desisti.  
Satis enim duxi, cū ostēdissem exempli causa,  
quæ

EPIST. APOLOGETICA.

quæ bona esse viderentur in diuitijs, & cõtra, quæ  
 mala, ad alias species deuenire: & in ea re vna  
 nõ progredi longius. Quid enim relinquitur, postq̃  
 enumerata sunt bona malaq̃, ex quibus felicitas &  
 infelicitas maximè iudicatur, quò longior deside-  
 retur disputatio? Sanè quicquid præterea dicere-  
 tur in eam sententiã, id exquisitè cuiusdã, magis q̃  
 necessariã, diligentiã esse censeretur. Est mihi præ-  
 terea autor, quo nescio an vllus grauior, Xenophõ  
 ille Socraticus, qui in eo Dialogo, qui est de Vita  
 tyrannica inscriptus, cõmemoratis bonis & malis,  
 quæ in vita tyrannica incidunt, quæstioni suã fi-  
 nem facit, quem ego in hac disputatione, quod at-  
 tinet ad differendi genus, imitari volui. Sic etiam  
 Cicero de Senectute disputas & de Amicitia, cum  
 docuit quid boni sit in senectute, quid in amicitia,  
 nec Scipionem Catoni, nec Fãnium Lælio contra-  
 dicentem facit, quanquam est illa vna & perpe-  
 tua quæstio: sed tacitis quibusdam obiectiunculis  
 confutatis disputationi suã modum imponit. Se-  
 tus autem in quæstionibus Tusculanis facit. Cum  
 enim probare vult mortem non esse malum, aut a-  
 nimi ægritudinem cadere in sapientem non posse,  
 quæ vna, & perpetua quæstio est, quoniam his de  
 rebus, varia est opinio, propterea D. Brutum in-  
 terdum repugnãtem inducit. Est altera ratio, qua  
 id fecerim. Scis personæ dignitatem, & naturam in  
 dialogis maximè seruandam esse. Cum verò scirem

EPIST. APOLOGETICA.

qua comitate & facilitate sit Lamola, in respon-  
dendo, & minimè pertinaciter aduersando verita-  
ti, seruire personæ volui, vt eo digna videatur ora-  
tio. Huc accedit, quod cum ei sermo & disputatio  
fit cum præceptore suo doctissimo & grauiſſimo  
viro, cuius authoritas summa est, & habetur: in-  
dignum censui, & contra decorum inducere illum,  
Guarini iudicio pertinaciter refragantem. His  
rationibus adductus sum vir doctissime, ne Lamo-  
lam Guarini defensionibus refellèrem, sed potius eas  
facile (vt tu dicis) concedentem faciam: quæ ideo  
tibi significare volui, ne tu à me hoc temere factū  
putes, & vt omnibus nota sit propositi atq; insti-  
tuti mei ratio, qui ea, qua tu, opinione tenebantur.  
Sed hæc quidem hætenus. Cum verò Ferrariam  
repetere constitueris, præstabo vt exemplar ali-  
quod ipsius Dialogi tecum ferre possis, quando-  
quidè ita petis, vt illum & Principi tuo perillu-  
stri, ac litteratissimo, & Guarino præceptorì  
nostro ostendas: quorum alterius gra-  
tiam per te inire, alterius au-  
gere, (si modò possim) ve-  
hementer cupio.

Vale,

AD

AD ALFONSVM

REGEM CELEBERRIMVM,

*Bartholomæi Facij in Dialo-  
gum, de Vitæ felicitate*

PROEMIVM.



VMANÆ Vitæ conditio-  
nem sæpius reputanti mihi,  
Rex sapientissime, illud maxi-  
mè mirandum videri solet,  
quod cùm Deus ipse Prin-  
ceps & cōditor rerum omnium, nihil in ter-  
ris præstantius homine creauerit. Hominem  
ipsum tot laboribus & calamitatibus obno-  
xium fecerit, vt nemo adhuc ex tot seculis  
reperitus sit, cui res in omni vita adeò secun-  
dæ cesserint, vt is se beatum perpetuò existi-  
mauerit. Id autem diuina Sapiencia proui-  
sum esse satis crediderim, quò mortales per-  
spectis tot præsentis vitæ miserijs, nullam in  
terris veram solidamq; felicitatem constare  
sciant

## EPISTOLA

sciant, ac proinde cælum illis suspiciendum  
 esse: vbi vera & semper manens beatitudo:  
 quod quantum in me fuerit, exquirendum  
 putavi. Itaque cùm superioribus mensibus  
 ociosus essem, & aliquid scribere decreuis-  
 sem, quod excellentiæ tuæ placere posset,  
 multa que ab antiquis, & contemporaneis  
 nostris grauitè & ornatè scripta occurrerēt,  
 quibus nihil omnino addi posse videbatur,  
 de Vitæ felicitate scribere institui: quoniam  
 ea res mihi digna visa est maiestate tua, & ni-  
 hil de illa adhuc scriptum vidi, quod quidē  
 mihi vsque adeò satisficiat, vt aliud non de-  
 siderem. Nec verò me ab hoc proposito (vt  
 arbitror honestissimo) absterruit materię dif-  
 ficultas: licet illam scirem Theologiæ ma-  
 gis esse, quàm eorum studiorum, quibus ab  
 adolescentia mea incubui. Nec certè tan-  
 tum operis aggressus sum, quod sim fretus  
 ingenio vel doctrina, quæ sentio in me, q̄ sit  
 exigua, sed potius diuina ope confusus, vnde  
 omnia mortalium ingenia lumen accipere,

&amp;c.

N V N C V P A T O R I A .

& sapientiam liquet. Nam quis est, quamuis summo & acutissimo ingenio, qui ista percipere & tradere, absque diuino auxilio se posse, confidat? An potest esse quicquam occultius in tota Theologia, quàm Summi boni & beatæ vitæ quæstio? cuius est inter Philosophos tanta dissentio. Ego tamen totam opinionem meam, ex hominum sapientissimorum sententijs & diuinitus inspiratorum traditione confirmaui, quod legens, ipse cognosces. Hoc autem opusculum, quamuis (quod ad laborem meum attinet) haud satis dignum videatur, quod in tam magni & tam excellentissimi Regis manus perueniat, maiestati tuæ dicare statui: quod quidē merito tuo videor mihi facere debere. Nam ut omittam tuam in me beneficentiam singularem, in quem Regem de beata vita libellus conuenire magis potest, quàm in te? qui cōmuni opinione, Regum omnium ætatis nostræ beatissimus habere. Nec ab re quidem, Habes enim, Rex sapientissime, quod de Cy

## EPISTOLA

ro minore Persarum Rege à Lyfandro Lace-  
 demonio dictum ferunt: Fortunam scilicet,  
 cum virtute coniunctam. Quis enim te, vel  
 prudentia, vel magnanimitate, vel æquitate,  
 vel moderatione, vel clementia, vel facilitate,  
 vel liberalitate præstantior? Quis factis illu-  
 strior? Quis præterea in gerendis rebus feli-  
 cior? Cùm enim cogito quantopere tibi for-  
 tuna fauerit in amplificando paterno regno,  
 tu profectò vnus mihi videris: non solum  
 cui faueat, sed etiam obtemperet ipsa fortu-  
 tuna. Sed de laudibus tuis plura post hæc, si  
 mihi vita contigerit. Ego enim pro meo in  
 te amore & obseruantia singulari (quam ma-  
 lo rebus quàm verbis præstare) tuis virtuti-  
 bus & rebus gestis celebrandis, magnifican-  
 disque, nunquàm profectò satiare possem:  
 vt omnibus posteris notus, & etiam per me  
 fias. Vt autem scias libelli ordinem, Anto-  
 nium Panormitam Poëtam atque Equitem  
 præclarum, Guarinum Veronensem Ora-  
 torem præstantissimum, ac Ioannem La-  
 mo-

## N V N C V P A T O R I A .

molam difertiffimum virum colloquentes  
facio, vt coram quali præfentes inuicem lo-  
qui putes. Habet enim, nescio quomodo  
plus fuauitatis & gratiæ, dicam etiam digni-  
tatis, oratio per Dialogum descripta, quod  
pro tua sapientia non ignoras. Quod reli-  
quum est, Rex magnanimè te oro, vt hunc  
libellum (quicquid est) tuo nomini destina-  
tum, ea fronte atque ijs oculis, quibus soles,  
quæ tibi grata sunt, suscipias, & per ocium  
perlegas. Quem, si Maiestatis tuæ grauif-  
fimo iudicio probari sensero, gaude-  
bo, meque ampliffimum laboris  
mei fructum, màximùmque  
à te munus consecutum

existimabo.

Vale.



colloquuntur  
 -olam dilectissimum vimum colloquuntur  
 -olam dilectissimum vimum colloquuntur  
 -olam dilectissimum vimum colloquuntur

Diuiditur iste Facij Dialogus,  
 in duas partes, quarum pri-  
 ma est, de Vitæ felicitate. Se-  
 cunda verò, quid sit Summū  
 bonum, & in quo consistat,  
 ostendit.

Dialogi autem personæ, seu  
 interlocutores sunt:

ANTONIVS.


GVARINVS.

LAMOLA.

BAR-

BARTHOL. FACII DE  
VITÆ FELICITATE.

Dialogus.

 *Q*UOD M Antonius Pa-  
normita, clarus & sin-  
gularis Poëta, Iurëque  
Consultus, Ferrariam se-  
se aliquãdo contulisset: & fortè apud  
Guarinum Veronensem eloquentissi-  
mum virũ essemus ambo. cuius homi-  
nis visendi gratia, in eam urbem pro-  
fectus eram, interuenissetq; Lamola,  
post mutuos cõplexus & multa verba  
de mutua valetudine vltro citroq; ab  
illis habita, in varios sermones incidi-  
mus. Cumq; de humana vitæ condi-  
tione sermo inter nos ortus foret: quod  
mirũ videretur nobis, cur quũ omnes

A in

in id potissimū ingenium ac studium  
 intendant: vt felicitatem consequan-  
 tur, nemo adhuc illam adeptus fuerit.  
 Tum Antonius: Visne, inquit, Guarini-  
 ne, quando ociosi sumus, & res digna  
 est disputatione: vt, à professione no-  
 stra parumper recedentes, & quasi lu-  
 dentes, Philosophorū campum ingre-  
 diamur, atque de hac re aliquid disse-  
 ramus? Neque enim verēdum est, ne  
 si Philosophorū arma induamus, aut  
 Aristoteles aut Plato illa nobis, tanq̃  
 sua, è manibus auferant: etiam si illis  
 non omnino aptissimè vti scierimus:  
 tu quòd Rhetorū, & ego Poëtarū ar-  
 mis magis vti cōsuerimus. Volo equi-  
 dem, inquit Guarinus, & illud vehea-  
 menter cupio: nec res propè vlla est,  
 de qua ego disputare vel audire ma-  
 lim.

lim. Est enim, ut dixi, res disputatio-  
 ne digna, ac propè quotidiana hominũ  
 questione pertrita: mihiq; erit gratũ,  
 & idem Lamolæ nostro, ut arbitror,  
 si quid de hac sentias nobis explicaue-  
 ris. Tum arridens Antonius, haud æ-  
 quum, inquit, postulas Guarine, qui  
 cum ætate & rerum usu me superes,  
 velis à me de hac materia, quæ magis  
 tua, quàm mea est, priores partes in-  
 disputando suscipi. Quamobrem tuum  
 officiũ feceris, si ut ætate prior es, ita  
 prior sententiã dixeris. Tum Guarina-  
 nus. Nõ diffitebor, inquit, Antoni id,  
 quod si velim inficiari non possum, me  
 quidem ætate præcedere, sed quod in  
 cæteris partibus te antecedã in eo tibi  
 planè non assentior, præsertim cum tu  
 Iurisconsultus & Eques sis: cumq; plu-

Sigismū-  
 dus im-  
 perator.

res Rhetores his temporibus inueniantur satis clari. Poëta autem illustris, præter te nullus, qui quidem à Sigismundo Imperatore propter optimū de re iudiciū, consensu omnium excitatū, Laurea corona, more maiorum, donatus sis. Quæ res vsq; adhuc nostrorum contigit nemini. Tum Antonius Facis inquit, Guarine, vt soles. Quos enim valde diligis, eos semper supra modum laudas & extollis. Itaque minus miror, si tantū mihi modò tribuisti, quātū vix mihi meritò tribui posse cognoscerē. Sed gratū feceris, si laudibus meis parcēs, de re ipsa disputare cœperis. Tū Guar. Faciā quòd iubes, quādo ita me cogis, ne me inexorabile aut difficile dicas, aut hoc disputationis genus defugere me velle suspiceris.

¶ Atq;

¶ Atq; illud breuiter dicam quod sentio, neminem in hac vita beatū esse posse, siue is Aetiua, siue Contemplatiua vitam sequatur. Est enim insitus natura mortalibus inexplebilis quidā appetitus, ut quò plura quis adeptus sit, eò plura desideret: pluribusq; cōtere se sentiat. Idq; hoc vno argui & probari potest, quòd neminē videmus quodcunq; vitæ genus sit ingressus: quē non paulò post delectæ vitæ pœnitent: quiq; in eo genere vitæ deligēdo sese errasse nō existimet, & alienum institutū non magis probet q̄ suū. Ego enim hanc esse vitæ beatitudinem dico, habere earū rerū omnium copiam & elegantiam, quæ ad victū cultumq; corporis necessariae atq; honestæ sint, presentiq; rerum statu cōtentum esse,

Duo genera vitæ.

Quæ fit vitæ beatitudo.

## BARTH. FACIUS DE

nec sentire se vlla re indigere, nihil  
 amplius requirere, nihil expetere, nul-  
 li quæstui seruire, omni deniq; animi  
 anxietate, omni corporis carere mole-  
 stia. Cui autem hæc non sint, hûc bea-  
 tum esse nullo modo posse. Et quoniam  
 nemo in hac hominum cõmunitate de-  
 gens ista assequi possit, propterea bea-  
 tum neminẽ existimandũ esse. Qui ve-  
 rò, distracti rerum humanarum curis,  
 totos sese in cognitionis & sciẽtiæ stu-  
 dijs collocarunt, ij nec beati quidem:  
 quoniã dum hoc corporis munere &  
 graui necessitate funguntur, tranquil-  
 litatẽ mentis, vnde Felicitas paratur,  
 consequi non possunt. Est enim innu-  
 merabilib<sup>9</sup> laboribus & periculis re-  
 ferta hæc vita: quibus, etsi nõ omnino  
 frangi, tamen non cõmoueri sapientis  
 ani<sup>9</sup>

animus non potest, nisi penitus sensu caruerit. Habetis his paucis, quid de Vitae felicitate sentiam, de qua, alia multa dici posse, non negauerim.

ANTONIUS. Actiuae vitae partes non ausim defendere, scio enim id esse difficile. Sed haec erit Lamolae nostri prouincia, quem intellexi, te dicente, non annuere sententiae tuae: & meditari secum quae tibi respondeat. Cum vero ad Contemplatiuam vitam ventum erit, eius defensionem subire non recusabo, quod munus me tueri posse non diffido.

LAMOLA. Haud equum facis, Antoni, qui tantum oneris mihi imponis: & si non omnino praceptoris mei sententiae acquiesco. Sed tamen, ut morem geram voluntati tuae, hunc laborem suscipiam non inuitus. Idque aliquanto li-



bentius vt te postea contēplatiuā de-  
 fendentem audiamus. ANTO. Bene  
 facis Lamola, qui tam facile te nobis  
 prebes. Sed hoc in primis agito, post  
 agam quod voles. LA. Rectē tu qui-  
 dem & sapienter Guarine vt soles, om-  
 nia quæ ex te querūtur. Sed tamen  
 difficile est assentiri tibi nullā viuē-  
 di rationem esse, quæ vitā beatā possit  
 efficere. Multos enim quotidie vide-  
 mus, quibus nihil deesse ad beatē vi-  
 uendū existimatur esse, præterea mul-  
 ta quæ hominem beatū præstare pos-  
 sint reor. Tu verò nullum penitus ex-  
 cepisti. Sed de omnibus vnū atq; idem  
 tanq̄ de parricidis & sacrilegis iudi-  
 cium tulisti. GVARINVS. Quenā  
 ea sunt Lamola, quibus hāc felicita-  
 tem comparari putes, posse? Nam li-  
 bet

bet ex te audire cuiusmodi sint.

## DIVITIÆ.

LAM. Ego, inquam primùm crediderim diuitias præstare hoc posse, quæ vel ob eam rem maximè optantur & quærentur, ut earum rerum nobis sit copia, quæ vel necessitati, vel ornamento sint. Hinc enim magnificas ædes, amplissimas villas, cultissima rura, uberes agros, preciosam supellectile, vestes egregias, vasa argentea, aureaq; cæolata, margaritas, gemmas infiniti sumptus: hinc equos insignes, seruos, ministros egregios: hinc denique omnia ad splendorem vitæ pertinentia comparamus: hinc amicos adiuuare, propinquis benefacere, liberos locupletare possumus. Quæ qui habeat, hunc non beatum putare iniurium puto.

GVA. Longè in hoc Lamola, à te dis-  
sentio. Diuitiæ enim non satietatem  
hominibus afferunt, sed maiorem pos-  
tius auiditatē & sitim. Quotus enim  
quisq; reperietur, qui, etiam si abūdet  
omnibus bonis, non alia atq; alia, ma-  
iora & meliora expetat. Eius rei no-  
bis grauiſſimus testis est Iuuenalis no-  
ster elegantissimus, ita inquitens:

Iuuenal.  
Saty. 14.

Interea pleno cūm turget sacculus ore,  
Crescit amor nūmi, quantū ipsa pecunia crescit.  
Et minus hanc optat qui non habet. -

Nec verò solūm appetitu augendæ rei  
familiaris angitur diues, sed etiā que  
adeptus est amittendi metu. Atq; ita  
vnde vitæ tranquillitatē ac iucundia-  
tatem expectabat, inde anxietas & so-  
licitudo exoritur. Quid, quòd his pro-  
bi homines sepe carent, & improbi  
exuberant? Sed illud diuitiarum ma-  
lura

Improbi  
abundāt  
diuitijs,  
probi ve-  
rò plerun-  
que egēt.

lum est maximum, quòd saepe tyrannos & facinorosos homines ad bonorũ cædem incitant. Legimus enim apud Suetonium, & alios Historiographos innumerabiles propè clarissimos, & eosdem innocentissimos viros, à Caligula & à Nerone (vt reliquos taceã) diuitiarum magnitudine interfectos fuisse, quibus nõ esset illata vis, si pauperes extitissent. Hinc idẽ Satyrus:

Temporibus diris igitur, iussuque Neronis  
 Longinũ, & magnos Senecæ prædiuitis hortos  
 Clausit, & egregias Lateranorum obsidet ædes,  
 Tota cohors: rarus venit in cœnacula miles.

Iuuenal.  
 Saty. 10.

Nec verò tyranni solùm, sed etiam inuidi metuuntur: nec inuidi modo & alieni, sed etiam domestici. Veretur enim locuples, ne aut à seruis, aut à ministris expiletur, neu tãto sudore paratas diuitias, vno momento amittat, & quod

quod grauius est, ne sibi afferantur  
 manus. Si quò præterea peragrandum  
 est: Quantillum argenti secum ferat,  
 semper itineris sollicitudo est comes.  
 Timet enim ne in latronem incidat, à  
 quo, nedum re, sed etiã vita spoliatur.  
 Cùm quidem tenuis ille paruoq; cõten-  
 tus, nec latrones, nec insidias perhor-  
 rescat, & vel per medios intrepidus  
 eat. Sic Satyrus:

Iuuenal.  
 Saty. 10.

Pauca licet portes argenti vascula puri,  
 Nocte iter ingressus, gladium contumq; timebis,  
 Et mota ad Lunã trepidabis arundinis umbras.  
 Cantabit vacuus coram latrone viator.

Nec verò hunc diuitẽ appellabo, qui  
 quæstui, qui mercaturæ dat operam,  
 etiã si Cosmi fortunas possideat. Quo  
 ad enim quis alia atq; alia quæret, di-  
 uitem non putabo: qui si diues non er-  
 rit, certè pauper: & ob id (communi  
 homi-

hominum sententia) non beatus. Præ-  
 terea apud amicum, vel apud tyrannū  
 cœnans locuples, illorū epulas nōnunq̄  
 suspectas habet: & quòd miserius est,  
 porrecta ab vxore & propinquis po-  
 cula interdum horret. Hinc ille ipse

Satyrus.

Sed nulla aconita bibuntur fœtilibus,  
 Tunc illa time, cum pocula sumes gemmata,  
 Et lato Setinum ardebit in auro.

Iuuenal.  
 Saty. 10.

Atque ita quem in diuitijs vitæ por-  
 tum sperabant non modo non inuene-  
 rūt: sed summam potius procellam &  
 turbulentissimam tempestatem. Que  
 cum ita sint, dices in diuitijs beatā vi-  
 tam consistere? L. A. Depulisti me  
 de sententia mea Guarine. Tot enim  
 rationes attulisti modò, vt non solum  
 non putem diuitijs felicitatē contine-  
 ri, sed magis mirer esse aliquē qui pro  
 illis

BARTH. FACIUS DE  
illis congerendis sese laboribus & pe-  
riculis capitis exponat.

PRINCIPES.

¶ Sed quàmuis tibi concesserim di-  
uitias non posse vitam beatã reddere,  
non tamen tibi concedo Principes &  
Reges non beatos esse. Quid enim illis  
deficit quò non beati putandi sint? In-  
primis enim, quæ vel ad victũ vel ad  
ornamenta vitæ attinēt, illis adsunt:  
nec ad satietatē modò, verùm etiã ad  
delicias affatim. Nihil audiunt à suis,  
quod illorũ aures offendat. Omnes ad  
eorũ volũtatē loquũtur, omnes ad eo-  
rũ voluntatē tacent. Somnũ ac requiē  
p̄ eorũ volũtate atq; arbitrio capiunt,  
omnes venientibus illis assurgunt, as-  
sistunt, cedunt, parent: prosperis illo-  
rum rebus colletantur, aduersis verò  
con-

contristantur & condolent. Illorum casus, consilio ac re subleuare nituntur. Si quid est pulchri in toto regno, ad se defertur. Munera amplissima quotidie accipiunt, non à subditis modo, verum etiam ab externis, quibus eorum gratia atq; familiaritas chara est. Habent aulicos magnos & praestantes viros, qui frequentes apud illos sunt, qui illis ministrant, qui illorum exequuntur imperia. Voluptates vero omnis generis illis percipere facile est, quibus nemo est qui non toto studio gratificari conetur. Habent praeterea, quod ego maximi omnium facio, propè parem cum Deo in homines potestatem. In illos enim ius necis atque vitae habent, vt & nocentes seruare, & innocentes occidere, si velint, possint.



Cicero in  
 orat. pro  
 Q. Liga-  
 rio.

*sint. Nam ut ait sapientissimus Cice-  
 ro noster. Nulla siquidem re ad Deos  
 immortales propius accedimus, quã sa-  
 lutem hominibus dando, quod præter  
 Reges ac Dominos dare nemo potest.  
 Siquidem magistratus legibus obstri-  
 ctus est, quas & præterire non licet:  
 Voluntas autem principis pro lege ha-  
 betur. G V A. Credo te Lamola non  
 tam ista dicere quod ita sentias quam  
 ut videas quibus rationibus illa con-  
 futem. Dicam tamẽ quod sentio. Mihi  
 quidem omnia quæ dixisti, modò vi-  
 dentur ad refellendum facilia. In pri-  
 mis quod dicis, nihil Regibus defra-  
 vitæ pertineat: hoc certè haud ma-  
 gnum est & in principe nequaquam admi-  
 randum. Multi etenim privati ciues  
 istud*

istud affecuti sunt, quibus non modò  
necessaria, sed etiam deliciosa & vo-  
luptaria abundè sunt. Namq̃ ad ex-  
plendam huiuscemodi rerum concupi-  
scentiã, etiam privatae opes sufficiunt.  
Hoc assequi poterat si voluisset, Mar-  
Crassus, hoc Lucullus, hoc multi alij  
Romani locupletissimi viri. Potest  
hoc etiam, vt de presentibus loquar,  
is quem paulò ante nominavi Cosmas  
Medicus, potest Vitalianus Borro-  
meus, possunt & alij multi diuitijs ce-  
lebres viri. Itaq; quod ad hãc partẽ at-  
tinet nihil mihi videris dixisse quod à  
privatis seiunctum sit. Quod dicis, ni-  
hil audiri ab illis inter suos, quod eis  
molestum sit, omnes ad eorum volun-  
tatem loqui ac tacere, vide quantũ ego  
ab opinione discrepem. Id enim quod

tu illis commodo esse ducis, ego incom-  
modo esse arbitror. Adulatorum enim  
blanditijs inducti sæpè in maxima ma-  
la prolabuntur, quibus affecti, cogno-  
scunt non felicitatē, sed calamitatem  
in assentatione esse repositam. Dele-  
tarent verò & laudes si illas à sence-  
ro hominum de se iudicio manare in-  
telligerent. Sed cum ob vitæ turpitu-  
dinem, ob ignaviam, ob crudelitatem,  
eiusmodi laudibus sese indignos sciāt,  
nulla delectatio est quæ illorū animos  
capere possit. Iuuarēt etiam sermones  
& silentia subditorum, si illa à quadā  
libera voluntate proficisci crederent.  
Sed cum ea à quodam de se metu pro-  
cedere non ignorēt, propterea hæc nul-  
lam voluptatem afferre possunt, & id  
circo vitam beatā præstare nequeunt.

Quòd

Quòd illos requiescere, ociari ac somnos ducere pro eorum arbitrio asseris, & hoc quoq; breuibus verbis falsum esse conuincam. Ego quidem Lamola, non solum puto hæc illis æqualia cum priuatis non esse, sed potius eos à priuatis longè superari. Quò enim grauioribus negocijs, curisq; homines intenti sunt: eò difficilius hæc corporis comoda consequuntur. Sed cum Regibus grauiores curæ quàm priuatis incumbant, propterea illos hisce rebus magis carere quàm priuatis verisimile est.

Hinc de Ænea Virgilius,

- curis ingentibus æger

Spem vultu simulat, premit altũ corde dolorem.

Et alibi: - ipse vno graditur comitatus Achate.

Achates enim in eo loco cura est quæ

nunquàm secedit à regibus. Sapius enim

euenit vt ministris quiescētibus,

B 2 ipsi

Virgil. 1.  
A Æneid.

ipsi quiescere non possint, quod ex eo ostenditur :

Virgil.

At pius Aeneas per noctem plurima voluens. Alijs enim somno & quieti indulgentibus, solus Aeneas, pro comitum salute vigilabat. Si bellum domi habent, solliciti sunt de regno & statu suo, ne eo orbat, in miserias incidat. Si pacem timent & ciues suos, ne quid aduersus se moliantur noui, ne veneno, vel ferro petiti opprimantur. Timent etiam domesticos, quod est grauius. Quo enim angore, quo metu existimas Dionysium priorem affici solitum, qui cum tonsori non crederet, ignito carbone sibi, vt Cicero meminit, urebat capillum. Qua solitudine Alexandrum Phereum, quo timore vitam egisse arbitraris? qui vxoris thalamum, nisi

pra-

præmissis inquisitoribus, ingredi non audebat. Dices fortasse his merito timendum fuisse, quoniam improbi fuerint, bonis verò & iustis regibus nihil tale metuendū esse. Cur igitur Tarquinus Priscus, cur Servius Tullius, Reges planè boni, atque æqui interfecti sunt? Non igitur immeritò à Iuvenale dictum est.

Saty. 10.

Ad generū Cereris, sine cade & vulnere pauci  
Descendunt Reges & sicca morte tyranni.

Quid illa perpetua anxietas augendi imperij quæ grauis est comes? Putasne illum animo posse consistere, qui semper secum agitet, quomodo possit acceptum à patre regnum augere? Plura alia & varia incōmoda quæ Regibus & Tyrānis obueniunt, memorare possem, nisi ea scirem diligentissimè nū-

BARTH. FACIUS DE

merata esse à Xenophonte in eo libello, qui de Vita tyrānica inscriptus, ab Aretino nostro viro eloquentissimo, Latinus est factus, quem te vidiſſe, ac legiſſe ſcio. Habes quod ad hanc partem attinet, vt mihi quidem videtur ſatis. LAM. Ego verò ſatis, cū enim cogito quibus laboribus, angoribus & periculis Principū vita verſetur, non poſſum non confiteri illorum vitā non beatam eſſe.

CIVIS OPVLENTVS.

¶ Sed quid de magno & potenti ciue dixeris? Negabis illum beatum eſſe cuius ſumma ſit in Repub. dignitas, quem tota ciuitas miretur, quē obſeruet, cui cedat, cui obſequi ſtudeat, qui vel in foro, vel in curia regnet. GVA. Ego verò nego: namq; vt omittam per quos

quos sudores atque discrimina amplitudo ista cōparetur, qua illos solitudine affici arbitraris, ne parta dignitate, vel inimicorum inuidia, vel fortunæ malignitate, vel sinistro quopiã fato priuētur: ac ne summo dignitatis gradu in infimū excussi, ruant? Nec verò Principes solū & Reges, quibus boni & potentes ciues vt plurimū suspecti sunt: sed nec ciuitas quoq; libera magnum ciuem æquis oculis potest aspicere, quàmuis illum propter egregia in patriam beneficia fortuna q̄ amplissima dignum putet. Hæc autem non minus exemplis quàm rationibus cōprobari possunt. Quis enim præstantior fuit Romæ tempestate sua, quàm Furius Camillus? Is tamen aliquando, vt scis, optimatum inuidia & conspi-



ratione exul est factus. Quis Africano  
 maiore? Quis minore potentior? Ho-  
 rum tamen superior apud Linteonum  
 exulavit. Alter suorum manu, ut qui-  
 dam putauerunt, euectus, manè inuen-  
 tus est mortuus. Quis Mario maiore?  
 Hic tamen à Sylla fugatus, Myntur-  
 narum paludes, & alia multa gravia  
 atque horrenda pertulit. Quis rursus  
 Sylla florentior? Is tamen inuicem à  
 Mario laceſſitus, multa detrimēta &  
 clades accepit. Quis Gracchis fortu-  
 natior? Ij tamen Patrum concilio &  
 manu interfecti sunt. Quis Pompeio  
 illustrior? Is tamē postea à Cesare exa-  
 gitatus, & Vrbe atq; omni Italia ex-  
 pulsus, ab ingrato ac nefario Rege non  
 solum opibus, sed etiam vita, per sum-  
 mū scelus priuatus est. Quis Iulio Cæ-  
 sare

sare sublimior? Hic tamen in curia,  
 authore Bruto, crudelissimè perem-  
 ptus est. Quæ omnia cum Satyro no-  
 stro nota essent, propterea inquit:

Quid Crassos, quid Pompeios evertit, & illum  
 Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?  
 Summus nempe locus nulla non arte petitus:  
 Magnaæque numinibus vota exaudita malignis.

Juvenal.  
 Saty. 10.

Cum igitur tot mala amplitudini im-  
 pendeant, & alia infinita, quæ, ne sim  
 longior memorare supersedi, dices in  
 amplitudine felicitatem esse? LAM.  
 Non audeo ista refellere, ita me exem-  
 plis coëgisti, ut tecum sentiam. Licet  
 multi nominari possent, quibus ista  
 dignitas sine periculo extitit.

#### AVLICI.

¶ Sed placet audire, quid de ijs sen-  
 tias, qui Principum aulas sequuntur:  
 qui vulgò iudicatur omniū mortalium

beatissimi. GVAR. Rectè facere te  
 existimo Lamola, qui his quæ dixi, nõ  
 cõtradicas. Illa enim & alijs multis ar  
 gumentis possem vera esse defendere.  
 Sed quando & de Aulicis scire vis,  
 de hac quoq; re paucis explicabo, quid  
 sentiam. Ego quidem de ea, vt de vi  
 ta amara & permolesta sentio. Est e  
 nim primùm omniũ inuidie telis pro  
 posita. Nec est fermè quisquàm adeò  
 felix, qui hanc sæuissimam pestem vi  
 tare queat. Quò enim quis melior, in  
 nocentior, iustior, eò magis improbo  
 rum hominum calumnijs & detractio  
 nibus patet. Nam, si quis est, qui vel  
 prudentia, vel virtute aliqua, apud  
 Principem valeat, in illum tanquàm  
 in communem hostem, cæteri vt euer  
 tant, machinas omni arte intendunt.

Est

Est enim Aularum confectatrix Invidia. Non cibus, non potus, non somnus, non denique requies vlla securè capi potest: & quæ ori suauissima alioquin forent, propter continuam solitudinem, & laborè fiunt amarissima. Quid quod ad alienum appetitum epulari, edere cum nolis, non posse cum velis, ad alienum somnum dormire, ad alienum nutum loqui, tacere, stare, sedere, ambulare, equo vel pedibus iter facere necesse est? Huic hominum generi quid molestie, quid miserie præse ferre dixerim? Quid, quàm graues descensus sunt, quàm varia calamitates, quàm varij, quàm tetri casus? Vnus est nobis satis exempli hac in re Aelius Seianus, quo maior aut potentior nemo apud Tyberium Cæsarè diu fuit.

De hoc  
Seiano.  
apud  
Dionem  
in Tibe-  
rio Cæs.

fuit. Hic, cum in tantas opes euectus  
 esse, ut vel solus post Cesarem regna-  
 re videretur, ad postremum siue inui-  
 dia, siue alia quacunque causa, in tan-  
 tam Principis iram incidit, ut non so-  
 lum dignitate, sed etiam vita priva-  
 tus sit. De quo idem Satyrus:

Juvenal.  
 Saty. 10.

-deinde ex facie toto orbe secunda

Fiunt vrceoli, pelues, sartago, patella. Et item:

-Seianus ducitur vnco

Speſtandus,

Ac subinde.

Ergo quid optandum foret ignorasse fateris  
 Seianum: nam qui nimios optabat honores,  
 Et nimias poscebat opes, numerosa parabat  
 Excelsæ turris tabulata, vnde altior esset  
 Casus, & impulsæ præceps immane ruina.

Ex quibus rebus perspicuum est, non  
 hos quidem qui Aulis se ingerunt bea-  
 tos esse. LAM. Libenter te audio, his  
 de rebus Guarine, disputantem: fit  
 enim ut quæ ego ipse tacita cogitatio

ne voluens mihi satis persuadere non poteram, te audito, nō modo reprehendere non audeā, sed certè vt vera esse non ambigam. GVAR. Facile patior Lamola te mecum iocari, vt soles, qui quāuis fortasse habeas multa, quæ possis opponere, te tamen argumenta mea refutare non audere inquis, quod te magis facere credo, vt alijs de rebus differamus quàm quòd nō habeas contra ista quid dicas. LAM. Non est ita Guarine, vt confidam contra sententiam tuam posse pugnare: sed quòd arbitraris me cupere alijs de rebus ad hanc materiam pertinentibus, à te disputari, mediussidius diuinasti. Nam vt neque in primo, neque in secundo actu deserenda est fabula: sic cum de Vita beata disputare ceperimus, non est

BARTH. FACIUS DE

est ea à nobis relinquenda, donec ubi  
 nã sit, & cuiusmodi sit reppererimus.  
 GVAR. Quanquàm res ista difficilis  
 est cognitu, ego tamen disputando non  
 defatigabor: præcipuè cum tu is sis,  
 qui ubi quid minus bellè dixerò, re-  
 prehensurus nõ sis. Itaq; perge queso,  
 & pro more tuo exquire quid velis.

MILITIA.

LAMOLA. Cum multos videam  
 viros summo loco natos, in militiam  
 proficisci, idcirco Guarine, credide-  
 rim rem militarem hominem beatum  
 præstare posse. Nec te latet duo esse  
 præcipua, quibus ad summam digni-  
 tatem ac rerum statum perueniri pos-  
 sit: literarum scilicet, ac rei militaris  
 scientiam. Atque illud contenderim,  
 quod planè manifestum est, plures in-  
 fine

firmæ sortis homines militia quàm do-  
 ctrina claruisse. Habent enim multa  
 cōmoda milites, primū omnium, non  
 solum priuatis, sed etiam Dominis ac  
 Regibus pro voluntate vtuntur, quod  
 volunt, poscunt: & quod poscunt, im-  
 petrant. In vrbiū expugnationibus,  
 si quid est pulchri, id iure belli in rem  
 suam conuertunt. Militando vident  
 varias regiones, varios agros, varios  
 hominum & populorum mores: quò  
 quidem nihil potest esse iucundius. Il-  
 lis præterea licet de rebus militiae par-  
 tis, testamentum condere viuīs patri-  
 bus, & quos velint sibi hæredes insti-  
 tuere, quod alijs filijs familiās cōmuni  
 lege non licet, quibus rebus, quid bea-  
 tius esse statuerimus? **GVAR.** Ma-  
 gno te animo esse ostendit oratio tua,

La



Lamola mi, qui adeo arma extollis.  
 Sed quamuis ita dicas, te tamen aliter  
 sentire existimo. Verum vt & hanc  
 partē breuiter absoluamus, haud lon-  
 gioribus immorabor. Non sum qui in-  
 ficias eam, Lamola, in re militari plus  
 rimū commodi & ornamenti inesse.  
 Sed si incommoda cum cōmodis com-  
 paraueris, tum agnosces quā procul  
 à beatitudine eiusmodi vita remota  
 sit. Nam, quid vita illa durius? quid  
 grauius? quid denique intollerabilius?  
 Quis numerare queat pericula, erum-  
 nas, & quotidianos belli casus. Non  
 ne vides militanti continuè in castris  
 imminere captiuitatem, direptionem,  
 vincula, fugā, mortem? Non cibum,  
 non potum, non somnum, non requiem  
 exigente natura à se capi posse: non  
 noctu,

Misera  
 est vita  
 castrēsis.

noctu, non interdiu vllam sibi quietis certam horã dari, de hostium insidijs vsque suspenso atque sollicito. Anno- nae & reliquarum frugum inopia per- sèpè adeò laborare, vt non modò non ad voluptatem, sed ne ad necessitatem quidem sibi res suppetant? In tètorijs & plerunque sub Dio vitã agentem, nunc frigore confici, nunc solis ardore torrerì. Vulneribus affectum, Chyrur- gicum & remedia ad curandum vul- nus interdum habere non posse. Quid alia commemorem miserrima? quæ in huiusmodi vita cõtìngunt, quæ omnia si mihi sint linguæ centum, sint oraq; centum, explicare nullo modo possim. Quàm verò periculosum sit hoc vitæ genus testimonio nobis sunt (ne sem- per de Scipionibus & Marcellis lo-  
C quar)

Huius  
Braccij  
vitam ele-  
gantissimè  
descripsit  
Ioan. An-  
tonius  
Campanus.

quar) Braccius, Sforcia, Carmagno-  
la, ut reliquos taceam, qui memoria  
nostra fœdè perierunt. Sed vereor La-  
mola, plura de hac re dicere presente  
Antonio, qui cum huiuscemodi vitam  
sit expertus sub diuo Alfonso omnium  
ætatis nostræ Rege celeberrimo, à quo  
ornatus & excultus diligitur: in pri-  
mis posset illud in me non iniuria di-  
cere, quod Hannibalè illum magnum  
& singularè virum Phormioni Phi-  
losopho dixisse ferunt: qui cum de re  
militari, ut scis, presente Hannibale  
disputare ausus esset, ait Hannibal,  
cum ab eo quæsitum esset quid sibi de  
Phormionis oratione videretur, ne-  
minem sibi unquam magis delirum visum  
esse, quam Phormionem. L A M. Ni-  
hil est profectò tibi minus verendum,  
Gua

Guarime, quàm ne huic delirus vel ineptus esse videare. Cùm sit nemo his temporibus quem ego minus ineptum putem. Sed si in cæteris partibus, de quibus hæcenus disputatum est, non contradixi tibi, meq; facilem præbui, in hac difficile est tibi tam leuiter assentiri.

## GLORIA.

¶ Ego enim vitæ beatitudinem, vel hac potissimū arte & exercitatione militari, adipisci hominem posse crediderim. Per hanc enim maximè gloria paratur, qua quidem nihil est mortalibus optabilius. Videtur enim res, ut ait Satyrus, humanis bonis maior atq; amplior & diuina magis q̄ humana. Hæc enim hominem etiam remotissimis gētibus ac populis quos nunquàm viderit, notum & celebrè reddit: hæc

hominem ornat, extollit, illustrat: hæc  
 homini gratiam bonorum conciliat: si  
 iustitia, fide, liberalitate, & cæteris  
 bonis artibus ac virtutibus compare-  
 tur. Hæc dignitatem, hæc amplitudi-  
 nem affert, huius gratia magistratus,  
 ac summos honoris gradus consequi-  
 mur: & quod ego omnium optatissi-  
 mū iudico, per hanc immortales effici-  
 mur. Nec enim mortuos dicā Scipionē  
 & Hannibalē, Fabium & Pyrrhum,  
 Cæsare & Alexandrū, qui diu nomi-  
 nabuntur, sed viuere potius, & eam  
 quidē vitā, quæ maximè optanda est,  
 quippe quæ nulli amplius periculo, nul-  
 li inuidiæ subiecta, nulli deniq; labori  
 mācipata sit. Inuenti verò sunt multi  
 qui hanc ipsam gloriam tāti fecerint;  
 vt illā quocūq; discrimine, atq; etiam  
 volun-

Voluntaria morte parare non dubitauerint. In quo quidem genere Decios, auum, patrem, ac nepotem, Principes dixerim: nec minus Leonidam Spartanum, de quo illud extat elogium:

Dic hospes Sparta nos te hic vidisse iacentes,

Dum sanctis patriæ legibus obsequimur.

Quãquã enim hos mouit patriæ charitas, tamen existimandum est, spem gloriæ & nominis sempiterni, non minus quã patriæ charitatẽ eos, ad subeundam mortem tam audacter impulisse. Demum quid potest esse homini in vita iucundius? Confer cum hac omnes reliquas voluptates, quæ vel animo possint, vel corpori contingere, omnes tibi præ gloria profecto inanes esse ac friuolæ videbuntur. Quæ, cum ita sint, quid est quod hanc gloriã ab-

nuas felicitatem afferre posse? GVA.  
 Est profectò difficile dissuadere hoc  
 vulgo. Cuius quidem fert opinio nihil  
 esse in rebus humanis hoc vno præstã-  
 tius. Sed cum apud te loquar, id est a-  
 pud virũ Philosophiæ studiosum, vno  
 de omnis ratio bene viuendi manat, pu-  
 to fore, vt sine magno negocio ab ista  
 opinione (si ita existimas) te amoueã.  
 LAM. Facilè credo tibi Guarine, fo-  
 re pro tua summa eruditione atque in-  
 genio, in sententiam tuam me traduce-  
 re. Sed ne te longius interpellẽ, sinam  
 te prosequi orationẽ tuam, vt videam  
 quid afferas cõtra ea quæ dixi. GVA.  
 Non minus profectò me delectat faci-  
 litas tua, Lamola, quàm hæc nostra  
 disputatio, etsi est ea mihi iucundissi-  
 ma, nec est materia ferè vlla, de qua li-  
 bentius

bentius differam. Sed ne te plusculum  
 morer, pergam ut cœpi. Non inficia-  
 bor equidem gloriam, ut dixisti, illu-  
 strare & celebrare homines, eorumq;  
 amplificare dignitatem. Multosq; etiã  
 infimi generis per hanc ornatos atque  
 auctos fuisse. Sed num ista amplifica-  
 tio dignitatis, atq; celebritas nominis,  
 hominem presentibus contentum va-  
 let efficere, ut meliorẽ, aut sublimio-  
 rem statum non desideret? Si hoc po-  
 test, cõfitebor: si minus, quid est quod  
 hac in re beatitudinem contineri dixe-  
 rim? cùm beatus esse, aut appellari, ut  
 iam ante diffinitum est, nemo possit,

Beatus  
 quis.

nisi qui nulla omnino re carere se sen-  
 tiat. Sed num existimabis, vel Scipio-  
 nem cùm apud Linternum, vel Han-  
 nibalem cùm apud Prusiam Bythinia.

C 4 regem.



regem exulabat: vel Fabium cum à  
 Minutio magistro Equitum vexaba-  
 tur, vel Pyrrhum cum praelio victus,  
 in Greciam fugit: vel etiam anteq̃ in  
 hoste graues casus inciderunt, fuisse  
 contentos. Nihil profectò minus, nam  
 & maiora semper animo agitabāt, &  
 in secundis rebus atq; successibus for-  
 tune impetus formidabant, quibus  
 duobus affectus animus, nec noctu nec  
 per diem possit cōquiescere. Præterea  
 nominis illa diffusio, quã tu magnam  
 atq; optabilem rem iudicas, quàm brevis  
 est, quamq; angusta. Ex hoc orbe ter-  
 rarum, qui ad cæli ambitũ instar pun-  
 cti obtinere à Mathematicis dicitur,  
 quotam partem opinaris esse, in quam  
 eorum nominis fama peruenerit? Sed  
 fac peruenisse in omnes terras atq; in  
 om-

omnes gentes, quid ad te? Nunquid ob eam causam dolores, sollicitudines, molestias, damna, morbos propulsarunt? Si nominis propagatio tollere haec mala potuit, illos beatos fuisse iudico: sed eorum varij casus in vita, docent haec mala, per famam quantacūq; sit, auferri vel vitari non posse: haec in vita: quid post mortem, quoniam immortalitatē ex hac ipsa gloria exoriri dixisti? Quid nunc ad Alexandrum pertinere putas celebratū omnibus terris & gentibus nomen? Quid ad Caesarem? Quid ad Marcellum, qui magnitudine nominis & gloria orbē terrarum ab ortu solis ad occasum cōpleuerunt? Quid iucunditatis capere aut sentire illos putas, quod nomen eorum omnibus in ore sit, quod ab eis tanquā

magnanimis & præstantissimis Regibus atq; Imperatoribus capiatur exemplum. Nam si apud inferos sunt (quòd talibus viris accidisse, dolendum est) quidnam sensus talium rerum eis relictum, putas, ubi alia atq; alia habent quæ curent? Sed quæ graves casus apponet ista gloria, & Hæmibalidis ipsius interitus, argumèto est, de quo Satyrus:

Juuenal.  
Saty. 14.

Finem animæ, quæ res humanas miscuit olim,  
Non gladij, non saxa dabunt, non tela, sed ille  
Cannarum vindex, ac tanti sanguinis ultor  
Anulus. - Et Xerxes, de quo idem:  
Sed qualis redijt? nempe vna naue cruentis  
Fluctibus, ac tarda per densa cadavera prora.  
Has toties optata exegit gloria pœnas.  
Testes quoque sunt Darius, Cyrus,  
Mithridates, Jugurtha, qui omnes, ne  
quid de gloria amitterent, vitam amiserunt.  
Quòd si nec perpetua nec constans  
est gloria, nec demum eadem semper,  
nec

nec curis, nec laboribus, nec ægritudi-  
nibus vacat, liquere puto, in illa felici-  
tatem, quã quærimus, inesse nõ posse.

Quòd verò ad hanc partem attinet, sa-  
tis multa mihi dixisse videor, nisi qui-  
dem contradicis. L A M. Malo Gua-  
rine à sententia mea recedere (quod  
futurum esse prædixisti) quàm aduersari  
tibi: tametsi mihi argumenta in con-  
trariam partem non desint: ne hoc lo-  
co longiores simus, quàm propositæ di-  
sputationis ratio postulet. Sunt enim  
alia nõdum à me commemorata, qui-  
bus fortasse censebis beatam vitam effi-  
ci posse, quæ nisi molestum est, perse-  
quar. G V A R. Tu verò velim perse-  
quare. Te enim, ut paucis eloquar, au-  
diam libens. Placet enim mihi de hac  
re mirum in modum disputare, donec  
quæ

BARTH. FACIUS DE

quænam ea sit, & quibus artibus comparatur, didicerimus. L A M. Pergã itaq; postq̃ te haud grauari video.

AGRICVLTVRA.

¶ Fuere multi & item sunt, qui putent eam vitam felicitate præcellere, quæ in agro ducitur, præsertim si ex possessionibus suis, eos fructus percipiat, ex quibus possit honestè ac liberaliter viuere. Habet enim agricultura multa quæ delectent ac pro sint: neq; enim solum fructus qui ex terra colligitur, oblectat: sed etiã ipsa vis terræ vehemētius. Quid enim dulcius q̃ videre ipsis prope oculis crescentes in agro fruges, & semp̃ noui quipiam gignentem terram? Quid voluptuosius est, q̃ aspicere arentes prius hyberno rigore arbores, sub vernum  
tema

tempus reuirescere? ac paulatim cum frondibus baccas emittere? Vites ornari pampinis, floribus prata vestiri? Quid syluis ac nemoribus ad declinandum solis ardorem amœnius: tum ad venationes atque aucupia delectabilius? Quid denique mirabilius consitionibus, insitionibusq̄, quæ quidem à magno ingenio solertiq̄ inuenta sunt? Quid autē de fructu loquar? qui quidem ex ipsa terra non absque magno fœnore percipitur: vt non modò necessarios, sed etiã liberales sumptus supeditet. Qui huiusmodi vitam agunt, hos fortunatos Poëtarum princeps appellat, hoc pacto inquit:

O fortunatos nimium, sua si bona norint,  
Agricolas: quibus ipsa procul discordib⁹ armis,  
Fundit humo facilem victum iustissima tellus.  
Si non ingentem foribus domus alta superbis

Maro. 2.  
Georg.

Mand

BARTH. FACIUS DE

Manè salutantum rotis vomit ædibus vndam,  
 Nec varios inbiant pulchra testudine postes,  
 Illusasq; auro vestes, Ephyreiaq; æra,  
 Alba nec Assyrio fucatur lana veneno,  
 Nec casia liquidi corrumpitur vsus oliui:  
 At securo quies, & nescia fallere vita,  
 Diues opum variarum: at latis otia fundis,  
 Speluncæ, viniq; lacus: at frigida Tempe,  
 Mugitusq; bouum, mollesq; sub arbore somni,  
 Non absunt illis saltus, ac lustra ferarum,  
 Et patiens operum, paruoq; assueta iuuentus,  
 Sacra Deum, sanctiq; patres extrema per illos  
 Iustitia excedens terris vestigia fecit.

Ac subinde:

Hanc olim veteres vitam coluere Sabini:  
 Hæc Remus, et frater: sic fortis Hetruria creuit:  
 Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma.  
 Septem quæ vna sibi muro circumdedit arces.

Habes planè ex hisce Maronis versi-  
 bus, quæ vtilitas, quæ uè delectatio, ex  
 agricultura capiatur. In huiuscemodi  
 vita senectutè suam consumpsisse fer-  
 tur. Mar. Curius post triumphos de  
 Samnitibus, de Sabinis, de Pyrrho  
 par-

partos. In hac etiam Quintius Cinnatus & illius seculi senatores pene omnes etatem egisse perhibent. A Villa, inquit Cicero in Catone suo, accersebantur in Senatū, & Curius, & ceteri senes, ex quo illos qui accersebant, viatores nominati sunt. Equidē Guarine, si ad hoc vitæ genus, probitas, æquitas, fides, & cōtinentia accesserit, hanc vel solam beatam vitā audebo dicere. **GVAR.** At qui Lamo-  
 la, ex omnibus vitæ generibus, quæ ad  
 huc commemorasti, nullam vitam esse  
 arbitror, quæ ad felicitatē hanc quam  
 quærimus, propius accedat. In ea enim  
 inest summa animi delectatio, & à la-  
 boribus requies, non mediocre vitæ  
 condimentum. In hac quod ad victum  
 cultumq; corporis attinet omnium re-  
 rum

Cice. de  
 Senect.

Laus agrī  
 cultura.



rum copia. Sed vt ait Cato: In hoc, nec  
 nihil, nec omnino sunt omnia. Neque  
 enim est eiusmodi, neque certè eã vim  
 habet rusticana vita (quemadmodum  
 de opibus & gloria asseueravi) vt mo-  
 lestijs, vt laboribus, vt damnis, vt pe-  
 riculis, vt æmulatione, vt iniuria libe-  
 rare hominem possit: ita vt nunq̃ do-  
 leat, nunquàm angatur, nunq̃ pertur-  
 betur. In tãtis bonis & voluptatibus  
 eorũ, de quibus modò mentionẽ feci-  
 sti, quot infortunia, quot calamitates,  
 quot solitudines interuenisse putas?  
 quibus vexati atq; affecti, nullam in  
 humanis rebus felicitatem esse cogno-  
 uerunt. Nam, vt alia taceam incómo-  
 da, qua putas molestia agricolam affi-  
 ci? cùm spem anni, & expectatas ad  
 maturitatem fruges, vel grãdine, vel  
 nebula

Agricola  
 rũ incom-  
 moda.

nebula, vel siccitate amiserit? vel æris  
 alieni causa, ab opere in urbem distra-  
 ctus fuerit? Itaq; hanc vitam tutiorẽ  
 esse te dicere patiar, beatã verò, nullo  
 modo. LAM. Non audeo multum re-  
 fragari opinioni tuæ, præcipuè hac in  
 parte ubi de voluptate fit mentio. Ne  
 tu me ex Epycuri schola vnum putes,  
 cuius ego opinionẽ & sectam semper  
 improbauì, atq; despexi. Neq; enim di-  
 gnã vnq; duxi, præstanti animo & li-  
 berali ingenio voluptatem: quæ quò  
 maior est ac diuturnior, omnem animi  
 vim opprimit. GVA. Rectè tu qui-  
 dem & verè, semper enim aspernan-  
 dos & fugiendos existimaui, qui hanc  
 voluptatem, vel summũ in vita bonũ,  
 vel felicitatem homini conferre posse,  
 defendunt. Quòd verò in agris vita  
 D      beata

beata reperiri non possit, satis mihi dixisse videor, nisi quid aliud requiritis. LAM. Ego verò requiro, & à te aliud volo, nisi grauaris: sed non ut contradicam ijs quæ dixisti, nec prius hanc disputationē deseram quàm intelligatur, quibus artibus hæc felicitas acquiri possit. GVAR. Per benignè & more tuo facis, qui nunquã contra veritatem pertinaciter contendis, ubi enim agnoscis susceptam à te questionem, ratione defendi non posse: das manus, atq; arma aduersario remittis, nec nimis acriter impugnare veritatē sustines. LAM. Ego neutiquàm viri boni officium puto contra veritatē multa differere. Quid enim indignius esse potest, quid impudentius? quàm contra id quod rectū & verum scias, etiã  
 si a=

si abundes argumentis, verbosius contendere, quandoquidem ab ingenij & doctrinae ostentatione quadam proficisci videatur. In quo quidem genere multos reperias, plures etiam videre licet, qui etsi errare se sciunt, tamen peruicacia quadam inducti, opiniones suas obstinate defendunt: quos etiam longe magis reprehendendos putarim, quam eos qui scienter, docti tamen & eruditi, contra veritatem pugnant, ut aduersariorum argumenta perspiciant, nisi forte id agunt quo melius quid veri in una quaque sit, dignoscatur. Itaque Guarine, si in sententiam tuam, praesertim quam veram existimem, venio non repugnanter: id fit, ne tu me, vel ingenio, vel scientia nimium confidere arbitreris, aut in tuenda sententia perti-

nacem putes, quod præsertim cōtra te  
præceptorem meum iniquū puto. Sed  
his omis̄sis, ad reliqua pergamus, nisi  
fortè in crastinum diem disputationis  
reliquum differri mauis. G V A R.

Licet libenter recrearem animū, a s̄si-  
duo legēdi labore defessum, tamē quo-  
niam nō minorem, q̄ tu, ex huiusmodi  
disputatione voluptatē capio: propte-  
rea perfici quod ceptū est hodie, quā  
in crastinum extrahi peropto. L A M.

Perplacet, & id est profectō multō in-  
cundius. S A C E R D O T E S.

¶ Dic igitur Guarine, num sacerdo-  
tum vitam negabis beatam esse? qua  
quidem, vt fert cōmunis opinio, nulla  
beatior esse potest. In hoc enim gene-  
re vitæ, ea omnia inesse cēsantur, quæ  
ad felicitatē pertinet. Hæc ea est, per  
quam

quam possis ad summam omnium dignitatum, ad summas opes, atque diuitias euehi. Potes enim fieri Pontifex maximus, quæ quidem dignitas, auctoritate, honore, potestate, omnibus humanis dignitatibus antecellit. Est enim in terris par Christo Deo nostro, cuius ipse vicarius est, quo quid maius aut sublimius optari potest? Maior est profecto atq; amplior quam regum potestas: Regibus enim in corpora tantummodo: huic verò etiam in animas licet animaduvertere. Habent isti lauti sacerdotes & pileati affatim omnia, quæ suppeditent ad victum & ad cultum corporis, nec ad necessitatem modo, sed etiam vsque ad summas & exquisitissimas vitæ delicias, ministros splendidos, equos egregios, mulas

insignes, frenis aureis, vasa argentea,  
 preciosam supellectile, purpureas ve-  
 stes, quibus non modo se ipsos exor-  
 nant, sed etiam equos insternunt. Quid  
 plura? Habent omnia, quae votis &  
 precibus à superis peti possint. Haec  
 cum ita sint, cur hos beatos esse abne-  
 ris? GVAR. Si ita, vt dicis Lamola  
 sentires, quod ego non puto, magno te  
 errore teneri dicerem, & non difficul-  
 ter fortasse cōincerem. Sed facile pa-  
 tior te iocari mecum: nam, vt ad rem  
 veniam, quot quibus de curis sacerdo-  
 tes affici opinaris, non solum augendae  
 dignitatis causa: sed etiam amissae li-  
 berius viuendi licentiae, cum nec vxor-  
 is capiunda potestas sit, nec ex se ge-  
 nitis manifesto gaudere: nec sibi legi-  
 timos haeredes parare, qui partis fruan-  
 tur

tur bonis : cumq; illa quae tāta cura & studio congefserunt, alienis relinquerenda esse recordantur. Omitto quāta pecuniae auiditate teneantur, quāmq; in ea conquirenda diligētes sint. Ex qua vna re satis iudicari potest, illos praesenti rerum statu non esse contentos, quoniam alia super alia desiderent. Quapropter concludi, iudicio meo, potest, nec in hoc quoq; genere vitae felicitatem posse consistere, quae felicitas ab ambitione & anxietate atque auaritia seiuncta sit. L. A. M. Facile adducor Guarine, ut tibi assentiar in istis curis, & cupiditatibus beatam vitam esse non posse, & sanè cum cogito, quae de eiusmodi vita dixisti, te nihil mentitum intelligo. Sed quando in his vitae generibus, de quibus haecenus dis-



seruimus, beatitudinem esse negasti, credo me reperisse aliud vitæ institutum, quod tu ipse probes, quòve felicitatem non neges, quod mihi eò facilius persuasi fore, quoniam tu id ipsum vitæ genus ex omnibus delegisti, quod non puto persecutus esses, nisi te per id beatum putasses fore. GVA. Et quodnam illud esse dices, Lamola? Studiùmne bonarum artium atq; doctrinæ? LAM. Id ipsum. GVAR. Quæ ratione isthuc?

## BONÆ ARTES.

LAM. Quoniam bonarum artium, literarumq; scientia multa in se habet, quæ hominem ijs deditum, beatũ reddere posse videantur. Nam vt, omiſſis Grammaticæ studijs, à Rhetoricis incipiam, quæ ars tua est, & in qua, etætit

tis nostræ consensu, omnium principatum obtines. Est ipsa quidē, siue Rhetorica, siue Oratoria facultas omni sua utilitate atque vtilitate cumulata Quid enim illa præstabilius? Ut ait eloquentiæ pater Cicero, vel admiratione audientium, vel spe indigentium, vel eorum qui defensi sunt gratia. Quæ voluptas, cum eleganti & copiosa oratione conferri potest? Quàm delectat illa reconditorum verborum vis cognita? Quàm delectat rerū ad causam de qua agitur, accommodata inuentio? Quàm delectat inuentorum artificiosa dispositio & collocatio? Quàm delectat compositio, elegantia & dignitas orationis? quàm elocutionem appellamus. Quàm delectat inuentarum rerū thesaurus & fidelissima custos memo-

Rhetoricæ laus.

ria. Quàm denique delectat moderata  
 pronuntiatio? Quid verò fructuosius,  
 aptiusve ad hominũ gratiam, ad opes  
 & amplitudinem comparandã? Hoc  
 enim beneficio qui vel fame, vel capi-  
 tis periculo liberantur, eos non modo  
 sibi adsciscit Orator atque conciliat,  
 verum etiam adiutores efficit, & am-  
 plificatores dignitatis suæ atq; in qua-  
 cunque causa fautores: erat hæc facul-  
 tas olim coniuncta cum iuris scientia,  
 cui quidem semper in omni bene mora-  
 ta ciuitate (vt ait Cicero) principa-  
 tus est datus. Nec immerito, per hanc  
 enim Respub. augentur atque conser-  
 uantur: & idcirco huius scientiæ fru-  
 ctum ab Oratoriæ utilitate non diuisi-  
 dam, & quæ de dictione dicta sunt, ead-  
 dem & de legibus dicta erunt. Quid  
 verò

Cice.in  
 Orat.

Verò dulcius? quidve humano generi  
 conducibilius? quàm clarorum homi-  
 num, id quod est Oratoris propriū, res  
 gestas, vnde ad bene viuendū, ad sub-  
 eunda pro patria pericula, honestissi-  
 mum exemplū sumi potest, literis mā-  
 dare, atq; omnibus posteris, omniq; æ-  
 uo consequenti notas reddere? Omitto  
 iam Oratoria. Quid ipsa Philosopho-  
 rum studia, quàm plena fructu & de-  
 lectatione sunt? Hæc enim Philoso-  
 phia dux vitæ est, vt inquit Cicero,  
 virtutum indagatrix, expultrixq; vi-  
 tiorum. Hæc, inquam, illa est, quæ do-  
 cet quid in vita faciendū, quid fugien-  
 dum sit. Hæc quæ sint prudentiæ, for-  
 titudinis, iustitiæ ac moderationis offi-  
 cia explicat. Hæc è duobus honestis,  
 utrū honestius & probabilius sit, ex-  
 ponit.

Philoso-  
phiæ laus.

Cice. in  
vlt. Tusc.  
Quæst.

Ethica.

ponit. Hæc quid vtile in vita, & quibus  
 artibus hanc vtilitatem adipisci  
 possimus, & simul duobus propositis  
 vtilibus, vtrum sequendum sit, expla-  
 nat. Hæc, si qua contentio vtilis &  
 honesti esse videatur, vtram rem ag-  
 gredi debeamus, decernit: hæc est, in-  
 quam, illa ars, quæ vrbes peperit, quæ  
 dissipatos & vagos ritu ferarum ho-  
 mines, ad vitæ societatem conuocauit:  
 hæc homines inter se primò domicilijs,  
 deinde cõubijs & affinitatibus con-  
 iunxit: hæc eadem leges inuenit: hæc  
 Rerum publicarũ sanctissima institu-  
 ta condidit: hæc magistra morum &  
 cuiusq; bonæ disciplinæ extitit. Hæc  
 deniq; animi morbis medetur, languo-  
 res sanat, dolores expellit, sollicitudi-  
 nes leuat, molestias tollit: & quod  
 omni

omnium primum iudico, docet fortunam euincere. Alterius verò partis Philosophiæ, quæ est de rerum natura, quanta est (bone Deus) in disputando suauitas? quanta in tradendo Phyfica. vtilitas? Ex ea namq; principia rerû, causasq; cognoscimus, ex ea quid sit anima, vtrum creata à Deo, an æterna sit? Vtrum mundus perpetuò fuerit, an à Deo factus? vtrum elemēta corrumpantur an maneant? Vtrū humana corpora de elementis participent? quot & quæ elementa sint: Vtrū stella maior sit q̄ terra? vtrum sol maior sit stella? Vtrum à centro mundi ad omnes circumferentias lineæ ductæ æquales sint? Ex hac etiam ventorum, imbrium, grandinum, fulgurum, turbineumque dignoscuntur causæ, & ex

quia

quibus ista generentur: ex hac intel-  
ligi datur astrorū ratio, quam Astro-  
nomiam dicimus. Ex hac Luna, Mer-  
curij, Veneris, Solis, Martis, Iouis &  
Saturni cursus nunc rectos, nunc obli-  
quos, licet ediscere, quot diebus Lun-  
na, quot mensibus Planetæ orbes suos  
cursusq; conficiant, & vt Virgilij ver-  
bis vtar :

*Hæc canit errantem Lunam, Solisq; labores,  
Arcturū Pleiadasq; Hyadas, geminosq; triones.  
Quid tantum Oceano properent se tingere soles,  
Hyberni, vel quæ tardis mota noctibus obstet.*

Eiusdē Philosophiæ beneficio Deum  
agnoscimus, & mundū absq; authore  
& rectore nec esse, nec cōsistere posse,  
comprehendimus: cæterosq; super nos  
spiritus, & cætera quæ celi ambitu  
continentur, agnoscimus: eiusdem ar-  
tibus morborū & ægritudinū causas  
per-

percipimus. Eiusdem artibus ac remedijs egroti curantur, & in pristinam valetudinem reducuntur. Quarum rerum omnium cognitione & intelligentia, quid excogitari potest beatius? quodue magis alatur, & vegetetur animus.

Hosce Philosophos, si Maro noster felices statuit, qui ait:

Felix qui potuit rerum cognoscere causas,  
Atque metus omnes, & inexorabile fatum  
Subiecit pedibus strepitumq; Acherontis auari.

Et nos Guarine, cur non beatos ducemus? Nec Musicam tacitus praeteribo, Musica.  
qua quid esse potest ad recreandos ab opere ac reficiendos animos accommodatius? quid auribus lenius? quid suauius? ut omittam quanta insit delectatio in ipsa cantus ratione, in vocis molitudine, & firmitate. In citharæ & ceterorum instrumentorum canoris sibus



ambrosio  
 dibus, quarum tantam artem ac ratio-  
 nem, Tymotheus ille Musicus tenuisse  
 dicitur, ut Alexandrum cum vellet è  
 conuiuio ad arma compelleret, & rur-  
 sum mutato sono, ab armis ad epulas  
 Poësis. reuocaret. In ipsa verò Poësi (ut es-  
 tiam de studio Antony nostri loquar,  
 ex quo est summā laudem & gloriam  
 consecutus) quam dulcedinem? quod  
 animi pabulum inesse putas? Audiu-  
 sepè ex eo, tāta illum interdū aliquid  
 componentē delectatione detineri, ut  
 omnium negotiorum oblitus beatissi-  
 mus sibi esse videatur, nec aliquid ha-  
 beat cum hac suauitate comparandū.  
 Qua igitur Virgilium, Iuuenalē, Oui-  
 dium, Horatiū, reliquosq; clarissimos  
 atq; præstantissimos Poëtas voluptas-  
 te affectos putas: cum volūtati inuen-  
 tio

tio inuentioni carmen succedebat?  
 Mea quidē sententia nulla beatior vi-  
 ta esse potest. Cū itaque in his omni-  
 bus, quæ cōmemorari doctrinæ gene-  
 ribus, tanta insit animorum oblectatio  
 (ut fructum taceam, qui ex ijs vber-  
 rimus percipitur) quidnam asserre po-  
 tes Guarine, cur non credam hoc vitæ  
 genus beatum esse? & hominē in ho-  
 rum studiorum aliquo versantē, posse  
 beatē viuere. GVAR. Audiui te ma-  
 gna cum voluptate Lamola mi, omnia  
 liberalia studia percurrētē, omnesq;  
 artes ingenuas, earumq; proprietates  
 & laudes differentem. Vt autē ad rem  
 veniam, facile tibi concesserim multā  
 in his studijs suauitatē, ac delectatio-  
 nem esse: maximē enim hominis inge-  
 nio, naturæq; cōueniunt, cuius est pro-  
 E prium

prium sapere. Idcirco & cum ociosi su-  
 mus aliquid legere & discere expeti-  
 mus, noticiamq; rerum reconditarũ ad  
 vitæ felicitatẽ necessariam putamus.  
 Hoc est illud, quod inquit Cicero in  
 Officijs. Ex quatuor autẽ locis, in quos  
 honesti naturam vimq; diuisimus, pri-  
 mus ille, qui in veri cognitione cõsistit,  
 maximẽ naturam contingit humanã.  
 Itaque cum sumus necessarijs negocijs  
 curisq; vacui, tum maximẽ auemus ad  
 aliquid videre, audire, discere, cogni-  
 tionemq; rerum aut occultarũ, aut ad-  
 mirabilium ad beatẽ viuendum neces-  
 sariam ducimus. Quod autẽ dicis, ma-  
 gnã vtilitatẽ ex eisdem studijs perci-  
 pi, id fortasse contingit quibusdã pau-  
 cis, vel si vis, Antonio nostro, vt etiã  
 mihi, quibus est Dei munere, vnde vi-  
 ta

Cice. in  
 Offi.

ta cum dignitate ducatur, sed nō idem omnibus doctrinae studiosis & eruditis hominibus fortasse suppetit. Vides enim multos viros, ingenio ac doctrina praestanti, rei familiaris inopia, laborare, iacere humi, negligi à locupletibus, à principibus contemni, quorū ferè nullus est, hac nostra tēpestate, qui literatorū ingenijs faueat, præter Al-

Alfonfi  
laus.

fonsum regē omnibus ornamentis naturæ atque fortunæ præditū: qui hunc Poëtam nostrum excepit, exceptum erexit, erectū ditavit annuo salario, sibi in omni vitæ suæ tempus cōstituto, & hunc Leonellum Marchionem eiusdē regis generum, non minus eloquentia & dicendi suauitate quàm fortunis atque opibus illustrem. Nec est tamen id solum huius seculi nostri vitiū:

E 2 nam

BARTH. FACIVS IDE

namq; & Iuuenalis nostri tēporibus,  
paruo in precio bonæ artes & disciplina  
næ erant. Vnde est illud à se dictum de

Iuuenal.  
Saty. 7.

Poëtis: -cū celebres, notiq; Poëta  
Balneolum Gabijs, Romæ conducere furnos  
Tentarent, nec fœdum aliq, nec turpe putarent  
Pracones fieri, cū desertis Aganippes  
Vallibus, esuriens migraret in atria Clio.

Et illud de Oratoribus:

Spes nulla ulterior: didicit iam diues auarus  
Tantum admirari, tantum laudare desertos,  
Vt pueri Iunonis auem: -

Et illud de Causidicis:

Dic igitur quid causidicis ciuilia præstent  
Officia: & magno comites in fasce libelli?  
Ac subinde:

Quod vocis pretiū? siccus petasunculus, & vas  
Pelamidū, aut veteres Aphrorū epimenida bulbi.  
Aut vinum Tyberi deuectum quinque lagenæ,  
Si quater egisti, si contigit aureus vnus,  
Inde cadunt partes in fœdere Pragmaticorum.

Et illud de Historiographis.

Quæ tamen inde seges? quæ fructus aperta?  
Quis dabit historico, quantum daret acta legēt?  
Et

Et illud de Rhetoribus :

Quis color? & quod sit causæ genus, atq; ubi sum-  
 Quæstio, quæ veniant diuersa parte sagittæ, (ma  
 Scire volunt omnes, mercedem soluere nemo.

Et illud de Grammaticis :

Quis gremio Enceladi doctiq; Palæmonis affert  
 Quantum Grammaticus meruit labor? -

Et reliqua, quæ ille prudētissimè exe-  
 cutus est. Potes igitur Lamola, in tā-  
 tis angustijs positum hominem, quāuis  
 doctum & præstantem, beatū existi-  
 mare? Ego verò non censeo. Sed, vt  
 inquit Cato Lælius, sibi fortasse pro-  
 pter opes & copias, & dignitatē suam  
 tolerabiliorem videri senectutē, id au-  
 tem multis non posse contingere: sic  
 qui hisce rebus quæ ad vitā necessariæ  
 sunt, caruerit, hunc beatū esse nō pos-  
 se: quoniā is cōtentus eo rerū statu esse  
 non possit. Quis autē est ex omni mor-

taliū numero, qui nunq̄ re vlla omniū  
 no careat, quam adipisci non possit?  
 Quid? quod hæ doctrinæ & bonarum  
 artium studia plerisq̄ claris viris exi-  
 tio fuerunt, vt ad postremum talibus  
 operam indulfisse fortasse pœnituit.  
 Nescis Antonium, Ciceronem, Demo-  
 sthenem, omnium ætatum, omnium se-  
 culorum, omnisque memoriæ Oratores  
 præstantissimos, & item Socratē, Ana-  
 xagoram, Calisthenem, Zenonē sum-  
 mos ac celeberrimos Philosophos à ty-  
 rannis crudelissimè interemptos esse?  
 Nam de Cicerone & Demosthene,  
 hoc dicit Satyrus:

Iuuenal.  
 Saty. 10.

Eloquio sed vterque petit Orator: vtrumque  
 Largus, & exundans leto dedit ingenij fons.  
 Ingenio manus est, & cernix cæsa, vicc vnguam  
 Sanguine caudidici maduerunt rostra pusilli.

Illud de Cicerone, hoc de Demosthene.  
 -scelus

-sæuus & illum

Exitus eripuit, quem mirabantur Athenæ  
 Torrentem, & pleni moderantem fræna theatri.  
 Dijs ille aduersis genitus, fatoq; sinistro,  
 Quem pater ardentis massæ fuligine lippus  
 A carbone, & forcipibus, gladiosq; parante  
 Incude, & luteo Vulcano ad rhetora misit.

Ex hisce potes intelligere Lamola, nec  
 in diuitijs, nec in potetia, nec in ampli-  
 tudine dignitatis, nec in regno, nec in  
 gloria, nec in re militari, nec in agro-  
 rum cultura, nec in sacerdotio, nec in  
 studijs literarum hanc esse, quã quaerimus  
 felicitatem, de qua iam dudum  
 à uobis disputatum est. Omnesq; mor-  
 tales in deligendo genere vitæ vehe-  
 menter errare, & veram esse illã Sa-  
 tyri nostri grauissimã probatissimãq;  
 sententiam, ita dicentis:

Omnibus in terris, quæ sunt à Gadibus vsque  
 Auroram & Gangem, pauci dinoscere possunt  
 Vera bona, atque illis multum diuersa, remota

Iuuenal.  
 Saty. 10.



BARTH. FACIVS DE

*Erroris nebula. quid enim ratione timemus,  
 Aut cupimus? quid tā dextro pede concipis, vt te  
 Conatus non pœniteat, votiq̄, peracti?  
 Euertère domos totas optantibus ipsis  
 Dij faciles: nocitura toga, nocitura petuntur  
 Militia, & torrens dicendi copia, multis  
 Et sua mortifera est facundia viribus ille  
 Confisus perijt, admirandisq̄, lacertis.*

Horat.  
 Satyra. 1.

*Hoc idem sentiēs Horatius alijs vera  
 bis expressit hunc in modū inquiring:*

*Quī fit Mœcenas, vt nemo, quam sibi sortem  
 Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa  
 Contentus viuat: laudet diuersa sequentes?  
 O fortunati mercatores, graueis annis  
 Miles ait, multo iam fractus membra labore.  
 Contrā mercator, nauis iactantibus Austris.  
 Militia est potior. quid enim? concurritur: hora  
 Momento cita mors venit, aut victoria lata.  
 Agricola laudat turis, legumq̄ peritus  
 Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat,  
 Ille datis vadib⁹, qui rure extractus in vrbe est,  
 Solos felices viuentes clamat in vrbe.*

*Quas ob res quēnā vita beata sit, atq̄  
 vbi sit, & quo modo parari possit, re-  
 petendum est altius. L. A. M. Wisne igitur*

tur Guarine, quoniã disputando mihi defatigatus aliquantulum videris, & iam dies declinat in vesperam, ac præterea, difficillima pars huiusce disputationis relicta est, id quod superest in crastinũ trãsserri? GVAR. Mihi quidem nihil molestum erit, quod tibi placere intelligam, siue disputari, siue differri velis: nam quòd ais, me tibi defatigatum videri, non est ita, neque enim me disputationis eiusmodi satietas percipere vnq̃ posset, etiam si vel totum triduum ieiuno mihi differendum foret, præsertim cùm te, & Antoniũ tam faciles mihi habeam, vt non omnia mihi necessario exprimenda putem ad ea probanda, quæ persuadere intendam. Quod restet potissima & difficillima pars susceptæ disputationis

BARTH. FACIUS DE

nis in eo abs te profectò non dissentio.  
Suadere verò nobis, vt dicis, instans  
vespera videtur, vt animos ab hac di-  
sputatione relaxemus, & aliquantulū  
ociemur. Quapropter censeo, quod res  
liquum est in crastinum differamus.  
Sic & Antonius veniet ad dicendum  
paratior. ANTO. Et ego itidem cen-  
seo, eamus hinc igitur, & hortulos as-  
liquos petamus, vt laxamenti quipa-  
piam, animo pariter & corpori  
demus. Tum silentiū sub-  
secutum est, atq; in-  
de discessum.

AL

## ALTERA DISPV.

tationis pars.

## DE SUMMO BONO.

**P**ostridie, cum sub meridia-  
num tempus, Guarinus &  
Lamola ad Antonium salu-  
tadi gratia profecti essent. Visne Gua-  
rine, inquit Antonius, ad hesternam  
disputationem reuertamur, & quana  
sit ista felicitas accuratius indage-  
mus. GVA. Volo id quidem Antoni,  
nec est aliquid quod agam minus in-  
uitus. Quid enim mihi tali disputatio-  
ne potest esse iucundius? Sed censeo  
banc partem abs te tractandam atque  
explendam esse, vt fuerit constitutum.  
LAM. Recte dicis Guarine, & id ae-  
quum est. Scit enim Antonius ita con-  
uenisse

BARTH. FACIVS DE

uenisse mecū hesterno die cū me ad  
 disputandū impulit. Nec puto enim a-  
 deò difficilem fore quin id ipsum ab eo  
 impetremus non grauaté, si cōsuetudi-  
 nem suam tenuit. Solet enim in omni-  
 bus rebus, & tractabilem & exorabi-  
 lem se præstare, nec omnino cuiq̃ mor-  
 taliū, in vlllo genere officij cedere. Quā-  
 obrem vt iam ad te loquar Antoni,  
 omni prorsus excusatione summtota  
 partes tuas suscipies, nec te vebemen-  
 tius rogari patiēre ne studia nostra,  
 qui te audire cupimus de beata vita  
 quid sentias quippiam demoreris.

ANTON. Et si res ipsa permagna  
 est, adeò vt nesciam quæ maior, tamen  
 vt vestræ voluntati obsequar, dicam  
 quid de illa sentiā, sed ea lege, vt cum  
 ostendero, si tamen id poterò, in re-  
 bus

bus humanis felicitatē esse non posse,  
 tu o Guarine, ubi ea sit, & qualis sit,  
 explices. G V A R. Tu quod tuum est  
 munus, Antoni, primū exequere, ego  
 isthuc posterius videro. Neque enim  
 is sum, qui aut tuæ, aut Lamolæ no-  
 stri volūtati, præsertim honestissimæ,  
 defuturus sim. A N T. Rectè dicis: In-  
 cipiā igitur de re dicere. Omnis beatæ  
 vitæ ratio, ut mihi quidem videtur ex  
 summi boni opinione ducitur. Vidēdū  
 igitur in primis censeo. quid de Sūmo  
 bono Philosophi veteres, et quid Theo-  
 logi nostri senserint. Omnis siquidem  
 sapientum inuentio & excogitatio, ad  
 hoc vnum confertur, hoc vñ spectat,  
 ut felicitatem consequamur. Nam si  
 quid erit melius, quod se non adeptum  
 esse quis existimet, is certè hac felici-  
 tate

BARTH. FACIVS DE

tate caruerit. Affectus enim illius boni potiundi cupiditate, quo se carere senserit, quieto animo esse non poterit, sed semper augetur & appetitione eius quod præstantius opinabitur dies noctesq; torquebitur. Ita fiet ut sibi semper aliquid ad cumulatum felicitatem deesse sentiat. Cæterum de bonorū finibus, aliter Philosophi veteres, aliter nostri sentiunt. Quinimo & inter ipsos antiquos, ut scis, quod sit summum bonorū omnium, summa discrepantia atq; dissentio est: quorum sententias dico eas, quæ magis vel defensa, vel impugnata fuerint, quàm brevius potero exponam, ac simul ostendam id quoque, si potero, quàm falsa fuerit eorum opinio.

Dissentio  
nes veterū  
Philosophorū.

¶ Sunt qui Summum bonum in vo-  
lup.

ptate ponant, vt Aristippus & Epicurus. Sunt qui in priuatione doloris, vt Diodorus: sunt qui in indolentia, vt Hieronymus: sunt qui honestati voluptatem adiungant, vt Calipho & Dimomachus: sunt qui in scientia, vt Herillus: sunt qui in sola virtute & honestate, vt Zeno & Stoici: sunt qui in bonis animi, corporis, & fortunæ, vt Aristoteles & Peripatetici: Nam de Academicis nihil dicam, qui de finibus bonorum & malorū videntur cum Peripateticis consentire, sed in eo vno differre, quod quæadmodum Peripatetici affirmant ita esse, aut non esse, sic illi vitata affirmandi arrogantia, dicūt sibi ita videri aut non videri. Quarum omnium sententiarum, quæ iusta quæquæ sit, breuiter videamus.

Qui

Differen-  
tia Acade-  
micorum  
& Peripa-  
teticorū.



## VOLUPTAS.

¶ Qui Voluptatem summum bonum existimant, eorum sententiam confutare haud laboriosum puto, præcipuè cum à Cicerone, Seneca, Lactantio (ut alios taceam) grauiſſimis verbis atq; ſententijs præfracta ſit. Ac primum omnium, cuiusmodi res ſit voluntas, ex ipſius verbi diffinitione iudicari poſteſt. Nam ſi eſt, ut Ciceroni videtur homini diffiniendi peritiſſimo, letitia vehemens in animo, & commotio ſuauiſſima incunditatis in corpore, ſiue iucundus motus in ſenſibus: vel ſi eſt, ut Stoicis placet: ſublatio animi ſine ratione opinantis, ſe magno bono frui, quidnam dici poſteſt à ſummo bono alienius? Eſſet enim hoc tantum bonum, nobis primum cõmune cum beluis. Ille enim

Voluptas  
 ſis diffi-  
 nitio.

enim rationis & orationis expertes, ad voluptatē omnia referunt, seq̄ id vnū optare & sequi affirmarent, si naturæ beneficio loqui possent. Quid quòd etiā multa à bestijs fieri cernimus, vt in e- nutriendis & tuendis ex se natis, quæ quidem non ad finem voluptatis, sed potius cuiusdam ab natura in suos in- sitæ charitatis proficisci videantur? Quid igitur foret absurdius, quàm no- bis statuere illud supremum bonorum omnium, cuius non expertes sint pecu- des, vel in quo etiam ab illis quodam- modo superemur? Nam cùm dederit nobis Deus excellentem primò figurā corporis, & staturam arrectā, cælumq̄

Hominis  
à bruto  
differētis

intuentem, mutis verò animantibus, pronam & humi spectantem, non est profectò in hominū numero habendus,

F qui

qui eandem, quã bruta, sibi proponat &  
 statuatur summi boni rationem. Cumque  
 ipse Deus nobis ingenium, rationem,  
 & memoriam dederit (quarum rerum  
 expertes sunt pecudes) quibus discerere  
 possimus, quantum ignominie ac  
 turpitudinis in voluptate sit, extre-  
 mae sanè insipientie existimandum fo-  
 ret, rem tam vilem, tamque despectam,  
 non modo summum bonum, sed etiam  
 bonum dicere. Quin etiam ipsa natura,  
 quae de genere humano optimè merita  
 iudicatur, cum homini non solum re-  
 ctam proceramque staturam, & caelum  
 suspicientem, ut dixi, & corporis sen-  
 sus tribuerit (ut omittam quae animi  
 sunt) quibus cætera animalia,  
 de nobis profectò malè merita videretur,  
 si homini non aliam quam pecudi  
 sum

summi boni appetitionē impressisset.

Huc accedit, quod nulla res pernicio-

sior, nulla pestis acerbior, ut Architas

ille Tarētinus ait, hominū vitæ reperi-

ri potest, q̄ voluptas: hinc enim omnia

malorum genera nascuntur. Nullum

siquidem est tam impium, tam atrox,

tamq̄ nefarium facinus, ad quod susci-

piendum atq; exequendū voluptas ho-

minem nō compellat. Hinc multarum

urbū euerfiones (ne homicidia, néue  
alia scelera proferā) sepè numero con-

secutæ sunt, quas enumerare non est  
necessè. Sunt enim in promptu: nam,  
ut omittam Troianū excidium, in quo  
tot hominum milia periēre, nōne &  
Gallia Transalpina, quæ patrum no-

Architas  
in suis sē-  
tentijs.

Mala vo-  
luptatis.

Gallia  
Trāsalpi-  
na.

BARTH. FACIVS DE

rarum florētissima extitit, propter huiusmodi pestem, subito defloruit, & in maximas calamitates concidit?

Aiunt huius sectæ atque hæresis Philosophi, si tamen Philosophi nominandi sunt, virtutem ideo colendam, atque expetendam esse, quod ea sit efficiens voluptatis, quæ quidem vox mihi pæcudū (vt inquit Cicero) videtur esse, non hominum. Non erubescunt imprudentes homines, ne dicam impudentes, efficere virtutem (qua nihil præstabilius homini à Superis datum est) ministram & ancillam voluptatis. O præclaram Philosophiam! ô summam, ô singularem sapientiam! quæ imperium & principatum in homine obtinet, hanc indignissimæ rei famulatui & seruitio subdere non verentur? Nec intelligunt

ligunt quæ sordidus esset virtutis finis, si ea nihil melius voluptate hominibus pareret. Ego quidem nunquam illud bonum appellandum putavi, quo non posset eius possessor honestè gloriari, nedum illud putem summum, & excellentissimum omnium. Quis autem est, nisi omnino amens, vel certè impudens, qui in bonorum conuentu, percepta voluptate, gloriari sine rubore audeat? Hic quispiam fortè dixerit. Tu de corporis voluptate tantummodo intelligis, non animi. Ego verò de vtraque loquor, licet in ea, quæ corporis est, insit turpitudine maior, ea videlicet ratione quod hic finis non est à beluarum sine seiunctus, nec sit verisimile, nec certè æquum, hominem ac pecudem sibi idem tanquam signum proponere ad quod consilia, atque

actiones suas dirigat intendatq; Vt au-  
 tem res fiat illustrior. Num censemus  
 Curtium, qui se armatus precipitauit  
 in illum immanem terræ hiatus, vo-  
 luptatis causa, mortem obiisse? Num  
 Scaeuolā voluptatis causa, manū quæ  
 errauerat, in ignem iniecisse? Num  
 Brutum Romanæ libertatis auctore,  
 filios securi percussos, voluptatis gra-  
 tia, peremisse? Num Torqatum Lati-  
 no bello filium suum strenuum virum  
 & victorem, voluptatis causa interfe-  
 cisse? Num tres Decios pro salute ex-  
 ercitus Romani, voluptatis causa, se  
 morti deuouisse? & in medios hostes  
 citatis equis procurrisse? Num Mar-  
 Regulum ad mortem indubitātā vo-  
 luptatis causa reuertisse? Num Mar-  
 Curium oblatū sibi à Samnitibus ma-  
 gnum

gnum auri pondus, voluptatis causa,  
 respuisse? Num Fabricium ingentes  
 Pyrrhi pollicitationes, voluptatis cau-  
 sa, spreuisse? Num priorem Scipionē  
 vxoris indebilis Celtiberi (qua nulla  
 erat in tota Hispania formosior) cau-  
 sa voluptatis, concubitu abstinuisse?  
 Num Alexandrum ab vxore filiaq;  
 Darij præstantissima forma reginis,  
 voluptatis causa, animū inuictū præ-  
 stitisse? Num Solonem, Lycurgū, &  
 ceteros Legū latores, voluptatis cau-  
 sa, leges condidisse? Num ipsos Phi-  
 losophos tam laboriosis conatibus, vo-  
 luptatis causa, vitā contriuisse? Num  
 deniq; Themistoclem, Periclem, Pyr-  
 rhum, Agesylaum, Alexandrū: num  
 Fabium, Marcellū, Marium, Syllam,  
 Cæsarem Augustum, cum res tam ama-



plas, tamq̄ magnificas gerebant voluptatem respexisse? Aliud profectò, aliud inquam præstantius, atq; excellentius sibi animo proponebant, decus videlicet, famã, ac gloriam, licet & ipsi veri, summiq; boni perfectã cognitionem non tenuerint: & in eo etiam errauerint. Præterea summum bonum, quo iure quis dixerit, quod instabile, caducum, momētaneum, fluxumq; sit? Quis autem ignorat voluptatem, siue corporis, siue animi velis infirmã esse atq; mutabilem? Sed quod ad illos atinet, qui voluptatem summũ bonum censent, satis dictum sit.

Doloris  
 priuatio.

¶ Qui doloris priuationem summum bonum dixerint, hi planè mihi videntur, vel podagra, vel laterum dolore aliquando affecti ita sensisse. Nihil enim

enim est, quod vehementius optet ægrotus, quàm doloris & morbi detractionem. Sed, ut ait Lactantius noster, homo in disputando peracutus, quid potest dici magis ridiculū, quàm id pro summo bono habere, quod à Medico cōsequi dolens possit? Nam si id summum bonum esset, dolor utique sæpe optādus foret, ut dolore sublato, esset postea quòd magis gauderemus, ex quo planè consequens esset illum, parū felicem esse, qui parum doluisset: felicissimum verò qui plurimum, quod quàm absurdum sit vides.

¶ Qui autem Indolentiam summum bonum statuunt, nōne idē facere videntur, quòd ij qui volunt in aëre, ut dici solet, aliquid designare. Illud enim sibi bonū effingunt, quod tantum

Indolentia,

à Superis petere, non nobis dare valeamus. Nam in cuius potestate esse dixerimus, præstare de seipso, ne unquam doleat: hoc certè non à virtute, non à doctrina, non à ratione, non à consilio, sed tantum à Deo consequi possumus: profectò, qui ita sentiunt, eorum mihi videntur esse persimiles, qui talem sapientem fingunt, qualis ad huc, ut Cicero inquit, inuētus est nemo. Quid autem est stultius vel ineptius quam ea commetari, sibiq; pro omnium maximo bono proponere, quod per se adipisci nemo possit? Sanè qui hanc doloris vacuitatem summum bonum dixit esse, is non satis videtur intellexisse, id quod Aristoteli placet, & Cicero meminuit, ut bonum ad arandum, ut equum ad vehendum & militarem usum, ut canem ad venandum,

Aristo. de  
animali.  
Cice. de  
finib. bonorum &  
malorum,

dum, sic hominem ad res duras atque asperas natū esse. Quid enim loci haberet fortitudo, quæ homines maximè illustrare, & celebrare cōsuevit, si homini nunq̄ aliquid aduersi contingeret, propter quod aliquādo dolendum esset? Sed hæc quidem hæctenus.

¶ Qui virtuti voluptatem adiiciunt, & in ijs summum bonū putant, ij sanè & impudentius mihi dicere videntur, quàm qui in sola voluptate summum bonum constituunt. Coniungunt enim res natura contrarias, longeq̄ diuersas: nā sicut aqua & ignis, elementa inter se cōtraria atq; pugnancia simul stare iungiq; non possunt, sic certè nec virtus cū voluptate vlllo pacto copulari potest. Asspernatur enim natura, reijcitq; cōtraria, nec profectò secus est,

est, voluptatem cum virtute cōiungere, quàm pecudē cum homine sociare. At qui ita se habet hæc ratio, vt qui voluptatem sequitur, is virtute, qui virtutem, vt is voluptate careat. Sed hoc hæctenus.

Scientia. ¶ Qui summum bonum in Scientia dixit esse, honestius ille quidē: sed tamen omnino non rectè. Est sanè proprium hominis sapere, vt suprà dictū est: sed in eo errauit, quod putauit scientiam per seipsam expetendam esse, cum quidem illa alterius & extrinsecæ rei causa expetatur. Ideo enim scientias discimus (quemadmodum inquit Latetianus) vt in illis exerceamur, vt per eas, vel ad vitā necessaria, vel ad splendorem honesta adipiscamur: quorum priora non minus pecudum, quàm hominum

minum esse manifestum est. Ita enim  
 brutis animalibus quemadmodum ho-  
 minibus insita est, victus voluptatisq;  
 appetitio. Videre etiam licet in bestijs  
 quibusdam, ut puta in equis, tauris,  
 leonibus imaginem quandam similitu-  
 dinemq; gloriae cupiditatis. Ex quo nō  
 ab re Pöeta maximus de equo loquēs,  
 experiendum esse, ait :

Virgil. 3.  
 Georg.

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmae.  
 Illud etiam necessariò sequeretur, si  
 Scientia summū bonum esset, ut tam  
 qui malas, quàm qui bonas artes didi-  
 cissent, beati essent : quod existimare  
 nefas puto. Qui verò summum bonum  
 in virtute ponunt, hi profectò minus à  
 summi veri q; boni cognitione q̄ ceteri  
 aberrarunt. Sed tamen nec ipsi quod-  
 nam illud esset satis agnouerunt. Hæc  
 qui

## BARTH. FACIUS DE

Virtutis  
officia.

quidem Virtus suadet nemini nocere,  
 patriam atque amicos iuuare, com-  
 muni hominum societati seruire, fi-  
 dem præstare, gloria, vel opum gratia,  
 nihil contra honestatem contendere:  
 nullo turpi quæstu rem facere: nulla  
 negligentia, nulla pigritia quenq̃ cir-  
 cunueniri permittere: contra aduersa,  
 forti & inuicto animo esse, res huma-  
 nas contēnere, nulli fortunæ cedere, ar-  
 dua ac laboriosa suscipere, nullo terro-  
 re, nullōue discrimine adduci, vt susce-  
 pta deserantur. Omnia deniq̃ quæ ho-  
 mini eueniant in rebus corporis, aut  
 externis, nec bona, nec mala ducere.  
 Huius munus est, libidines refrenas-  
 re, voluptates compescere, iracundiam  
 propulsare, auaritiam cōercere, omnes  
 animi labes diluere. Eiusdē est, res al-  
 tas

tas atq; occultas inuestigare, verum  
 inquirere, caelestia spectare, diuina cō-  
 templari, Deum agnoscere. Est hæc  
 profectò res magna, quæ res adeò præ-  
 claras gignit & continet. Sed tamen  
 eam summum bonum esse, nequaquam  
 existimandū est. Neq; enim virtus il-  
 lud est, quod ex ipsa virtute quæri-  
 mus, sed eius potius genitrix atq; esse-  
 trix. Hoc est enim illud iter, quod no-  
 bis emetiendum est, ad verum, sum-  
 mumq; bonum contendētibus, ad quod  
 sine virtute perueniri, nullo modo po-  
 test. Idq; hoc vno argumento facile iu-  
 dicari potest: namque, vt ait ipse La-  
 stantius, Aut hoc summū bonum quod  
 quærimus, adeptu facile est, aut dif-  
 ficile. Si facile, summum bonum di-  
 ci iure non potest. Quid enim tot la-  
 bores,

Virtutē  
 summū  
 bonum  
 negat.



bores, tot molestias, tot pericula: quod est virtutis opus, subeamus? Cur nos tantopere maceremus, atque conficiamus ad summum & optatissimū bonum annitentes, si illud adipisci leuiter possimus? Sed cum vel commune quodq; bonum & mediocre non possit absq; difficultate comparari (quoniā natura boni, ardua & laboriosa sit, quemadmodum vitiorum prona est et præceps) verisimile est, hoc quod summum bonum & omnium excellentissimum dicimus, non posse sine summis laboribus, summaq; animi & corporis contentione vendicari. Id si ita est, ut certè est: honesta actione, ac virtute opus est, ad hoc supremum bonum consequendum. Si igitur per virtutem ad illud perueniendum est, cuius dubiū relin-

relinqui potest: ipsam virtutē in qua  
 exercemur, quæne circa laboriosa &  
 periculosa versatur, non esse summum  
 bonum. Equidem mihi persuadere non  
 possum, Ciceronem, & eos qui dixerūt  
 summum bonum in virtute esse, & in  
 quo virtus sit, ei nihil deesse ad bene,  
 beateq; viuendum, quāuis asserant illā  
 esse propter se expetendam, nihil aliud  
 ultra virtutem spectasse, maximè cum  
 dicat in Tusculanis, Honos alit artes,  
 omnesq; incenduntur ad studia gloria.  
 Et in Officijs, Vix inuenitur, qui la-  
 boribus susceptis, periculis aditis, non  
 quasi mercedem rerū gestarum desi-  
 deret gloriam. Sic Virgilius:

Cic. vlti.  
 Questio.  
 Tuscul.

- utcunque fecerunt ea facta minores,

Vincet amor patriæ laudumq; immensa cupido.

Virgil. 6.  
 AEneid.

Hæc profectò illa res erat quam sibi

G pro

proponebant, quam spectabant, ad quã  
omnia eorum opera referebant. Id au-  
tem contigit ignoratione summi boni.  
Cum enim carerent veritatis lumine,  
ac perfecta sapientiæ fulgore, nec ali-  
quid virtute præstantius reperirent,  
à virtute non recesserunt, eamq̃ in se-  
se, tanq̃ radios in solem, reflecti volue-  
runt. Cumq̃ ad virtutis intelligentiam  
peruenerunt, quasi quærendo fatigati  
substiterunt: nec ad cælum vnde mor-  
taliū animi profecti, quòque reuer-  
suri sunt, mentem retulerunt.

Reprehē-  
dūtur Pe-  
ripatetici

¶ Qui verò virtuti corporis, & rerū  
externarum cōmoda addi volūt, & in  
ijs summū bonū ponunt, in eo peccant,  
quod in his quæ in nostra potestate nō  
sunt, summi boni finem statuunt. Quis  
autem nescit altera in potestate natu-  
ræ,

re, altera in casu & fortuna temeritate esse reposita? Nam quis est, cui exploratum sit, se incolumem ad vesperam fore? aut rem familiarē sibi, vno duntaxat die, integrā esse mansuram? Quod si ita est, vt certē negari nō potest, quis nā hisce accessorijs bonis, putauerit vitam beatā fieri posse? Summum quippe bonum, vt Lactantio placet, tale esse oportet, vt homini cū nullo animante commune, solius animi sit, nec vllā cum corpore, aut cum rebus externis cōmunionem habeat, ac deniq; tale, vt non possit absq; Scientia & Virtute comparari. Hoc verò bonū ita diffinitum, illorum omnium scientias excludit, de quibus facta est mentio. Quaecunq; enim dixerunt, aut nobis cum mutis animalibus communia

G 2 sunt,

sunt, aut à nostra potestate seiuncta.  
 Quæ sit Philosophorū opinio de Summo bono, in quo beata vita cōtinetur, satis explicatum videtur.

Summū bonū fitū in immortalitate.

Quomodo pareatur.

¶ Nunc reliquum est, vt quid nostri de eo sentiant explicetur. Lactantius quidem summum bonum hominis, positū esse in immortalitate cēset: eamq; quasi mercedem maximā laborum ac meritorū nostrorū, à Deo mortalibus constitutam esse, comparariq; duabus rebus, Religione scilicet, & Sapiētia. Ait enim, cū omnia quæ data sunt homini, penè videantur esse cōmuniā brutis animantibus, puta vox, risus, charitas, ratio. Videmus enim illas proprijs & sibi datis à natura, vocibus inter se notis, quasi simul colloqui, demulsis auribus, & rictū lasciuia soluto

lutò quasi ridere. In foetibus gignēdis, educandisq̄, quasi quandā speciem amoris humani præ se ferre: in tuenda vita, in fugiendis periculis, quaedā non obscura rationis signa præbere: omnes animātes, præter hominem, religionis & sapientiæ expertes esse, easq̄ soli homini conuenire, rationē aliquā bestijs esse datam, ad sustentandā vitam: homini verò perfectā ad Diuinarum rerum intelligentiā. Cui quidē opinioni assensum esse Ciceronē ait dicentē, *Ex tot generibus, nullum esse animal præter hominē, quod habeat aliquam Dei notitiam, nullamq̄ gentē esse tam inmansuetam, neq̄ tam feram, quæ non (etiam si ignoret qualē haberi Deum deceat) tamen habendū sciat. Spectandum nobis esse in cælum nullam aliam*

Cicc. de  
legibus.

ob causam, nisi ob religionem: nam si religio tollatur è medio, nullam superesse nobis cum cælo cognitionẽ. Arrigendos ad cælum oculos, aut religionis gratia, aut rerũ diuinarũ cognitione: sed quia res diuinæ hominis ingenio perfectè cõprehendi non possunt, religioni seruiendũ esse. Oportere autẽ religionẽ cum sapientia coniungi, nec alterã rem, absq; altera perfectam esse, eosq; qui alterutram suscipiant, altera neglecta, viam magnis erroribus implicitã sequi: quoniã in his duobus inseparabiliter connexis, & officiũ hominis, & veritas omnis inclusa sit. Idcirco, inquit, factus est mundus, vt nascamur: ideo nascimur, vt factorẽ nostrĩ, ac mundi, agnoscamus: ideo agnoscimus, vt colamus: ideo colimus, vt

im

Cur mũ-  
dus fact⁹  
sit.

immortalitatem pro laborum mercede capiamus. Hanc tamen immortalitatem, cum vera Dei cognitione & contemplatione coniunctam intelligit. In quo quidem errauere Philosophi, inter quos & Mar. Cicero, qui etiam si immortalē esse animum putauerunt: sed verum Deum omnium rerū cōditore ac parentem, defectu sapientiae, nescierunt. Hæc de Sūmo bono Lactātius.

¶ Isidorus verò sacrarum literarum doctissimus, summum bonum esse, inquit, Deum, quòd sit incorruptus, incommutabilis, immortalis & simplex, quæ omnia in solū Deum cadunt. Nā etsi immortales Angeli atque animæ sunt, tamē & commutabiles sunt, quādo in vitia prolapsæ à Deo deseruntur. Cuius verba afferre commodius reor:

Deū esse  
summū  
bonum.



Deū esse  
bonum  
summū.

Summū bonū, inquit, Deus est, quia incōmutabilis est, & corrumpi omnino non potest. Creatura verò bonum, sed non summū, quia mutabilis est: & dum sit quidē bonū, non tamen potest esse summum. Quid enim est Dei immortalitas? nisi eius incōmutabilitas. Nam & Angeli & animæ immortales sunt, sed incommutabiles non sunt. Ideoq; solus Deus immortalis, quia solus incōmutabilis est. Nam anima moritur, dum deserente Deo, de bono in malū mutatur, sicut & Angelus, dum deserente Deo, lapsus est. Quod materiā habet vnde existat, mutabile est, quia de informi ad formā trāsit. Quod verò non habet materiā, immutabile est, sicut Deus vtique est. Bene itaq; ac substantialiter sunt ista in Deo in-

cor=

corruptio, immortalitas, incōmutabi-  
 litas. Inde & meritò cuncta præponi-  
 tur creaturæ, opus, non consiliū, apud  
 Deum mutari, nec variari eum, quia  
 per varia tēpora diuersa præcipit, sed  
 manens, idem incōmutabilis & eter-  
 nus. Quod cuiq; tēpori congruum esset  
 ab ipsa æternitate in eius mansit dispo-  
 sitione consilij. Non vsu nostro aliud  
 Deum putamus, aliud pulchritudinē  
 eius, sicut aliud est homo, aliud eius  
 pulchritudo: quia desistente pulchri-  
 tudine, homo manet. Ac per hoc, qui ita  
 intelligit, Deum corporeū esse credit,  
 dum pulchritudo Dei, ipse sit Deus.  
 Ideo Deus dicitur simplex, siue non a-  
 mittendo quod habet: siue quia nō a-  
 liud est ipse, aliud quod in ipso est. In-  
 ordinate dici, seu cōferri vitijs ea quæ

ordinate in Deo sunt, utpote simplicitas, quæ aliquando dicitur pro stultitia, ea non est apud Deum. Apud Deum verò summa simplicitas, & iuxta hanc regulam cætera extimanda sunt. Hæc Isidorus.

Aeterna  
vita sum-  
mum est  
bonum.

Fides do-  
num Dei

¶ Augustinus magnus perfectusque Theologus, summum bonum esse censet Aeternam vitam, ut summum malum æternam mortem, ac propter illam comparandam, nobis rectè viuendum esse. Scriptum est enim, inquit, Iustus ex fide viuit, quoniã nec bonum nostrum iam videmus, ex quo est opus, ut illud credendo queramus. Nec verò, ut ipse testatur, nostrum rectè viuere satis est, ad vitam illam adipiscendam, nisi credentes & orantes nos adiuuet, qui ipsam Fidem dedit, qua nos ab illo iuandos esse

esse credamus. Praeclare ille quidē de Summo bono, si illud existimat aeternā vitam. Aeterna enim vita quid est, nisi Deus aeternae vitae largitor? Ipse enim est & vita salus nostra, vnde illud: Ego sum Via, Veritas & Vita. Ipse aeternus, qui et principio caret & fine. Aeterna igitur vita est Dei, Deo aeternū esse, & in Deo aeternū vivere: atq; in eius diuinitate contemplan- da, omnes cogitationes nostras iacere: quā vnā rem tantummodo in beatorum mentibus versari crediderim.

¶ Alibi idē Augustinus, summū bonum, ciuitatis Dei, aeternam pacē esse, inquit his verbis. Quāobrē cū summum bonum ciuitatis Dei, sit aeterna pax atq; perfecta, non per quam mortales transeant nascendo atq; moriendo,

Aeterna  
pax sum-  
mum est  
bonum,

do, sed in qua mortales maneant, nihil  
 aduersi omnino patiendo, quis est qui  
 illam vitā vel beatissimā esse neget,  
 vel in eius cōparatione istam quæ hīc  
 agitur, quantis licet animi & corporis  
 & rerum externarum bonis plenā  
 sit, non miserrimam iudicet? Sed siue  
 eternā vitam, siue eternā pacem sum-  
 mum bonū iudicet, rectē ille quidem:  
 In Deo enim eterna vita, & eter-  
 na pax est, in eo summa quies, summa  
 tranquillitas & status omnium res-  
 rum cumulatione perfectus. Quid plu-  
 res Theologos referam? Omnes enim  
 in id cōsentiunt Deum esse summum  
 bonum. In eo beatorū cogitationes fini-  
 niri, nihil extra Deū appeti, nihil de-  
 siderari, quod est Sūmi boni propriū.  
 ¶ Quapropter si nec in sola voluptate,

Deū esse  
 summū  
 bonum.

Epilog<sup>o</sup>  
 Dialogi.

te, nec in doloris priuatione, nec in indolentia, nec in virtute cum voluptate coniuncta, nec in sola honestate, nec in scientia, vt mihi multis verbis explicasse videor, sed in Deo, & ipsius Dei fruitione & contēplatione ac vite eternitate, vt Theologis placet. Illud, iudicio meo, rectē concluditur nos in hoc orbe terrarū quem incolimus, vitam beatā adipisci non posse. Illa enim vita beata rectē appellabitur, quae nullius est fortunae telis opposita, nullis procellis obnoxia, ad quam nec metus, nec dolor, nec inuidia, nec malevolentia, nec obtrectatio, nec iniuria, nec vis, nec aegritudo, nec perturbatio vlla quae animum à perenni tranquillitate dimoueat penetrare potest. Nam dum in malis sumus, dum angimur, dī crucias

Beata vita  
qua.

conclit  
iudic

ciamur nō nisi prius finitis malis, bea-  
 ti esse possumus. Licet enim ratione  
 duce, humanorū casuum contemptrice  
 fortiter aduersa tolleremus, tamē fieri  
 non posse arbitror hominē, quicumque  
 sit his quæ sibi præter naturam & vo-  
 luntatē accidant (nisi omnino sit fer-  
 reus) non moueri. Quid enim putas?  
 Diogenē illum vel Cleantē, quorū vi-  
 ta fuisse fertur emendatissima, nunquā  
 æmulatione, nunquā rei illius inopia la-  
 borasse, nunquā quippiā desiderasse, nun-  
 quā re vlla perturbatos fuisse? Equi-  
 dē mihi intelligere videor nos ita na-  
 tura cōparatos esse, eaq; conditione cō-  
 positos, vt non tristari, nō timere, non  
 cupere, non dolere nequeamus: que  
 sunt animi perturbationes, ex corpo-  
 ris contagione procedentes. Sic enim  
 hasce

Passiones  
 animi.

hasce animi passiones Cicero appellat,  
 quoniã animũ mentemq; perturbent.  
 Hoc ipsum clarè testatur Poëtarum  
 Latinorum decus, his versibus :

Virgil. 6.  
 AEneid.

Ignæus est ollis vigor, & cælestis origo  
 Semimibus quantũ non noxia corpora tardant,  
 Terremq; hebetant artus, moribundaq; membra.  
 Hinc metuunt, cupiũtq; dolent, gaudetq; nec auras  
 Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.

Quis enim hos sensus animis abstulerit,  
 quãdiu hoc terreno carcere inclusi  
 sunt? cuius quidem tanta vis est, ut  
 ipsum animum diuinarũ rerum, & ut  
 quidam volunt, humanarũq; peritum  
 vires suas exercere non sinat. Nam si  
 quod in corpus ineptum, & malè tem-  
 peratum inciderit, vel stoliditatis ali-  
 quando, vel clemẽtiæ signa edit: quid  
 quòd hæc, quam modo viuimus vita,  
 non re ipsa vita est, sed mors? In quo



& veteres aliqui, maximè Stoici, Peripatetici & Academici, cum Theologis nostris sentiunt. Deficimus enim sensim, & sine sensu, & continuè morimur, donec hoc graui corporis onere deposito, ad eam vitã peruenitur, quæ verè vita est, quæ immortalis, quæ omni solitudine ac desiderio vacua, quo nihil nisi incorruptibile, purũ & simplex potest transcendere, vbi summa animi requies, vbi expletus, vel potius contentus animus, æuum agit cum Superis sempiternũ, vt non modo non mirer Virgilianũ illud, sed etiam valde probem.

Virgil. 6.  
Æneid.

O pater æne aliquas ad cælũ hinc ire putadũ est  
 Sublimeis animas, iterumq; ad tarda reuerti  
 Corpora? quæ lucis miseris tam dira cupido?  
 Quonã enim modo beata esse vita potest,  
 quæ ipsi morti subiecta nos ali-  
 quando

quando desertura sit. Nā si vita beata (vt ait Cicero) amitti potest, beata esse nō potest: nec enim appellatur beata vita, nisi absoluta atque perfecta. Nec potest quisq̄ aliās beatus esse, aliās miser. Qui enim existimabit se aliquando miserū esse posse, beatus esse nō poterit, quoniā eo timore torquebitur. Nā cū semel suscepta est beata vita, tam permanet, q̄ illa ipsa beatæ vitæ effectrix sapientia. Hæc enim vita præsens & corporalis, vt inquit Latānius, beata esse nō potest, quia malis est subiecta per corpus. Epicurus Deū beatū vocat, quia sit sempiternus & incorruptus. Beatitudo perfecta est, vt nihil sit quod eā vexare, minuire aut immutare possit. Nec aliter quicq̄ beatū existimari potest, nisi fuerit incor-

H rup.

ruptum. Incorruptum autem nihil est,  
 nisi quod immortale est. Sola ergo im-  
 mortalitas beata est, quoniã corrumpi  
 ac dissolui non potest. Nullus beatus,  
 inquit Augustinus, nisi qui viuit, vt  
 vult, & nullus beatus nisi iustus. Sed  
 & ipse iustus nõ viuit vt vult, nisi eò  
 peruenerit, vbi mori, falli, offendi non  
 possit, ei que certum sit ita semper fu-  
 turum. Hoc enim natura expetit, quæ  
 nec plenè, nec perfectè beata erit, nisi  
 sit adepta quod expetit. Nunc verò  
 quis hominum potest, vt vult viuere?  
 quãdo ipsum viuere, non est in nostra  
 potestate: viuere enim vult, mori co-  
 gitur: & si ideo mori velit, non quòd  
 nolit viuere, sed vt melius viuat post  
 mortem. Nondum ergo, vt vult, vi-  
 uit: sed cum ad id, quod vult, morien-  
 do

do peruenierit. Idem alibi: Absit autem vt quandiu in hoc bello intestino sumus, nos eam beatitudinē ad quam vincendo volumus peruenire, adeptos esse credamus. Hoc Augustinus. Possumus quidem ad illam beatā vitam, iter moliri ac struere, quibus autē gradibus ad eam peruadatur, et si iam dictum est, dicendum tamen est iterum, Religione, sapientia, spe, fide, charitate, atque virtute. Hoc vno tamen beati esse in hac vita possumus, teste Lactantio, si nobis beati esse minimē videamur, si fugientes illecebras voluptatū, soliūq; virtuti seruientes in omnibus miseris, laboribusq; viuamus, quae sunt exercitia, & corroboramēta virtutis, si deniq; illam asperā viam, difficilemque teneamus: quae nobis ad bea-

Via ad felicitatem quae sit.

Qua ratione in hac vita possum⁹ esse beati

titudinem patefacta est. Habetis Guarine, tuque ô Lamola, quid de Summo bono, & de Beata Vita sentiam, de qua à Theologis nostris, alia multa dici posse, non negauerim. Quam obrem finem sermoni meo faciam.

GVAR. Equidem Antoni, tecum sentio, & valde me iuuat ista tua de Philosophorum ac Theologorum sententijs enarratio: credo item Lamolam. Sed si in hac Vita, felicitatem non esse rectè conclusum est, vbinam illam esse dixerimus? quem locum illi dabimus, quodnam ei domicilium statuemus?

ANTON. At qui istud erit tuum munus, tuæque partis Guarine (sic enim pacti sumus) docere vbi ea sit, & qualis sit, quæ tibi, scio, erunt explicatu facilia, quoniam Religionis nostræ  
docto

doctoribus, te maximè delectari non ignoro. G V A R. Et si æquum erat Antoni, te hanc partem persequi, atque absoluerè, qui opiniones de Summo bono, tam nostrorum quàm veterum attigisti, tamen vt tuæ voluntati mos geratur, hoc muneris suscipiam non inuitus, atq; vt potero, exequar.

A N T O. Per benignè ac more tuo facis Guarine, qui semper te mihi, & omnibus amicis tractabilem præbere consueuisti. Quamobrè perge obsecro, quòd idem te rogat Lamola non minus. L A M. Ego verò non solum rogo, sed etiam oro atque obsecro. Hæc enim illa pars est, quam ego potissimū expeto audire, vt intelligam quò loci, hoc laborioso itinere cōfecto, mihi perueniendum sit, & cuiusmodi vita mea

post mortem futura sit, de quibus, licet audierim, saepe & legerim, tamen illa ex te cognita me vehementer delectabunt, atque etiam nonnihil confirmabunt. GVAR. Aggrediar rem quanquam perdifficilem, & Theologo magis quam Oratori congruentem, praesertim, quia video utriusque nostrum id gratum fore. Ex his Antoni, quae a te grauiter & copiose dicta sunt, satis constare arbitror, non esse in hoc orbe terrarum supremum bonum. Consequi igitur ex eo videtur, nos dum in hac vita sumus, beatos esse non posse. Id quod Lactantius his verbis affirmat: Non cadit ergo, inquit, beatitudo in hominem illo modo, quo Philosophi putauerunt: sed ita cadit, ut non tunc beatus sit, cum uiuit in corpore, quod

utique ut dissoluatur, corrumpi ne-  
 cesse est. sed tunc cum anima societa-  
 te & compage corporis liberata, in so-  
 lo spiritu viuet. In eo verò omnium  
 Theologorum nostrorum, ut tu clarè  
 ostēdisti, summa consensio est, Deum  
 esse summum bonum, & ipsius Dei  
 fruitionem, atque intelligētiam. Apud  
 Deum enim status est omni desiderio  
 vacuus, omniūque ex parte perfectus,  
 quæ est Felicitatis diffinitio: quod  
 quoniam à Deo verum est, ut nihil  
 verius vitam beatam esse, ubi summū  
 bonum sit, nemini esse debet ambiguū.  
 Si igitur apud Deum vita beata agi-  
 tur, dubitandum non est, domicilium  
 eius vitæ, Cælum esse: quod est propria  
 Dei sedes, quàmuis ipse Deus omnia  
 loca comprehendens, nullo comprehen-

Quid sū-  
 mum bo-  
 num sit.

Domici-  
 liū vitæ  
 beatæ.



*datur loco, immo verò loca omnia luce suaq<sup>3</sup> virtute & potestate lustret, & cõpleat. Nã vt Psalmista inquit.*

*Pfal. 113. d. Cælum cæli Domino, terram autem dedit filijs hominũ. Et item:*

*Pfal. 12. a. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cælo & in terra?*

*Cui verò dubium esse potest, animum, qui diuinus est, & cælestis, in cælum reuerti, locum nature suæ maximè cõsentaneum, cùm sciamus quæ corporis sunt, in elementa sua redire omnia.*

*Nam vt Phisicis placet, quæ terrena sunt, in terrã: quæ humida, in aquã: quæ aërea, in aërem: quæ ignea, in ignem, dissoluto corpore reuertuntur.*

*Nec illud paruo argumento est, originis nostræ cælestis, nostrique in cælum*

*redi-*

*Animus  
é cælo de  
missus.*

reditus, quod nobis à Deo data est forma corporis, ab alijs animantibus longè differens, vt antedictum est, sublimis scilicet, & ad cælum erecta, vt originem suam contempletur & spectet, atque intelligat sibi eodem reuertendum esse vnde disseßit. Illa enim ciuitas Dei est, quam mira pulchritudine, atque artificio molitus est summus rerum opifex, vbi plura insunt bona, quàm omnium mortalium linguæ effari possint. Ad quam quidem ciuitatem quibus gradibus remeetur satis à te Antonii, dictum puto. Habetis paucis, Antonii, tuque ô Læmola, vbinam putem vitam beatam esse, de qua plura alia dici posse nõ negauerim. Sed quoniam id à nemine religionis nostræ ambigi reor, hac parte præterita, ad eam quæ

reliqua est, iam me conferam. Ea vero est, ut ostendam (si modo possim) cuiusmodi vita illa beata sit. Nec me latet, id præstare, quàm sit difficile, quod non modo videri non potest, sed nec ratione, nec intelligentia comprehendendi. Maius enim & longè altius, hoc est quàm quo humani ingenij vis aspirare valeat. Sed tamen quantum ex Theologorum nostrorum scriptis percipere legendo potui, de tanta re dicam quid sentiam. Beata vita, ut mihi quidem videtur, tota est posita in Dei fruitione. Frui autem Deo, nihil aliud esse existimo, nisi Deum contemplari atq; cognoscere: licet vim eius ac magnitudinem, nullus vel beatorum spirituum plenè, perfectèq; possit (ut iam dictum est) ratione complecti.

Cuiusmodi sit  
beata vita futura  
Fruui deo.

plecti: quoniam immensus & infinitus est. Tunc enim soluti hac corporis molestia, puroque atque simplici corpore assumpto, Deum licebit intueri atque agnoscere. Nam, ut ait Apostolorum princeps, Nunc quasi per speculum in ænigmate Deum videmus, tunc autem facie ad facie. Et alibi: Videbit omnis caro salutare suum, Absq; difficultatis nodo: videbimus & Angelos, omnesque beatorum spirituum ordines, quasi concives & contubernales nostros. Videbimus & omnia quæ in cælo, & quæ sub cælo sunt. Quid enim erit, quod eius aspectum fallat, qui videt videntem omnia? Nihil profecto eorum nos fugiet, quæ ubiq; fuerint, & quæ nunc nobis videntur obscura de Trinitate,

1.cor.13.d

Luc.2.a

Et cæteris arcanis, quæ à Theologis  
 tradita sunt, fient nobis ipsa luce cla-  
 riora. Animus enim hac terrena com-  
 page liberatus, & abiecta carnis sar-  
 cina, ad pristinam, ac suam reuersus,  
 omnium rerum scientiam vel recupe-  
 rabit, vt Platoni: vel cõsequetur, vt  
 Aristoteli, & nostris placet. Nam  
 cum sit diuinæ naturæ particeps, cui  
 omnia cognita & perspecta sunt, cre-  
 dibile est, & humanos animos omnia  
 cognituros, postquam in eum locum  
 redierint, vnde digressi sunt: nec ama-  
 plius Saturno, Ioui, Marti, Soli, Ve-  
 neri, Mercurio, Lunæ, quos nunc Pla-  
 netas perhorrescimus, quorumue or-  
 tus & occasus, tanta cura & formidi-  
 ne obseruamus, subiecti erunt: nec of-  
 ficere nobis poterunt illorum cursus,  
 recur-

recursusq; Nec amplius extimescent  
 Reges, diros, horribilesq; terris Come-  
 tas, quos nunc tantoperè pertimescūt.  
 Erunt notæ & exploratæ omnes Stel-  
 lae, quibus nihil profecto quò ad splen-  
 dorem illustrius, quò ad ornatum &  
 varietatem pulchrius fingi potest. 32. 33. 34.  
 Erit in ea vita æterna, pax, & ea qui-  
 dem vera, nullisque insidijs obnoxia.  
 Nullam enim potestatem in eos, qui  
 in cælo fuerint, retinebit ille hostis  
 communis animarum, quinimo unã  
 cum damnatis, apud inferos, perpetuò  
 cruciabitur, nec euadēdi sibi amplius  
 vlla potestas dabitur. Erit ibi summa  
 animorum tranquillitas & requies, o-  
 mni cura, molestia, cupiditate, & an- 35. 36. 37.  
 gore vacua, teste Esaia dicēte: Sede- Esa. 32. d.  
 bit populus in pulchritudine pa-  
 cis,

cis, & in tabernaculis fiducia, &  
 requie opulenta. Erunt corpora no-  
 stra ipsa luce clariora, atque ipso aëre  
 subtiliora, vt quocunque velint, non  
 secus penetrare valeant, quam incor-  
 porei spiritus. Fulgebunt, inquit  
 Matt. 13. f. *Matthæus*, iusti sicut sol in regno  
 Patris mei. Quid *Augustinus*? Vbi  
 volet, inquit, spiritus, ibi erit protinus  
 & corpus, quod *Ezechiel* de rotis, in-  
 quit, erit ibi perpetua iuuentas, & sem-  
 per florens, quam nullum senium, nul-  
 la temporis magnitudo corrumpet,  
 nulla diuturnitas extinguet. In illa e-  
 nim viriditate, & pulchritudine per-  
 petuò cum Deo manebimus, *Psalmi-  
 sta* testante: Renouabitur, inquit,  
 Psal. 102. beatorum vt aquilæ iuuentus.  
 Nec verò paruum est munus, quod nul-  
 li

li morborum generi amplius subiecti  
 erimus. Corpora enim nostra, omni ter-  
 rena concretionē purgata, nihil offen-  
 sionis recipere omnino poterunt: neq;  
 enim elementa, ex quibus constant hu-  
 mana corpora, post resurrectionem no-  
 stram, vim vllā in nos habitura sunt.  
 Omnem siquidem potestatem suam  
 prorsus amiserint: erunt enim, vt di-  
 xi, à Deo defecata, & pura ipsa cor-  
 pora, omni admixtione & corruptibili-  
 labe deposita, vt nullam omnino vio-  
 lentiā extrinsecus sentire valeant. Cu-  
 ius rei testis est Esaias, ita inquit:  
 Occupabit salus muros meos,  
 hoc est, Celos, & beatorum sedes.  
 Murus namq; Dei Paradysus est, vbi  
 cum eo quieturi sumus. Erunt ibidem  
 omnia cumulatissimè, quae à nobis de-  
 siderantur.

Esa. 60. d

Esa. 60. d

sides



fiderari possint, vt nihil exterius no-  
 bis quærendum sit, Deus enim opti-  
 mus maximus, in quo omnia bona in-  
 sunt, desideria nostra complebit, nec  
 vllum cupiditatibus nostris prorsus  
 relinquet locum. Satiati enim & ex-  
 pleti hominum animi, presentibus, &  
 sibi à Deo concessis, contenti erunt.  
 Hoc est quod ait Psalmista: Sati-  
 bor cum apparuerit gloria tua.  
 Sic Paulus Deum loquentem faciens:  
 Ego ero quæcunque ab hominibus ho-  
 nestè desiderantur, & Vita, & salus,  
 & victus, & gloria, & copia, & ho-  
 nor & pax, & omnia bona. Sic enim  
 & illud rectè intelligitur, quod ait A-  
 postolus, Vt sit Deus omnia in o-  
 mnibus. Ipse enim finis erit deside-  
 riorum nostrorum, qui sine fine vide-  
 bitur,

bitur, sine fine amabitur, sine defatigazione laudabitur. Rectè ille quidem & verè. Iugiter enim ac sine intermissione Dei laudibus vacabitur, & erunt scilicet, in eo vno occupata studia nostra, vt pro ineffabilibus, atque immortalibus meritis nobis à Deo impartitis illius Maiestati continuè gratias agamus. Sed quæ laudes, quæ gratiarum actiones, tantis in nos Dei beneficij & muneribus respondere possint? Erit etiã in ipsa Paradyso vera & perfecta gloria, quæ nec æmulatione, nec simulatione officij, nec vlllo genere corruptela parabitur. Neque enim ambiendum erit, quo maiorem, vel gradum, vel gratiam apud Deum adipiscamur. Iustitia enim diuina, quæ summa atque perfecta est, non sinet

beatorum quenquam merito honore,  
 & digno gradu carere. Nec erit vnus  
 ex omnibus qui non eo gradu, atq; or-  
 dine contentus sit, quem sibi diuina  
 sapientia constituerit. Nec verò repe-  
 rietur, qui alteri inuideat, quamuis a-  
 lius in sublimiore, ac digniore loco col-  
 locatus sit: nam vt nec Archangelis  
 Angeli, sic nec sanctorum vllus infe-  
 rior, superiori inuiderit. Cuius qui-  
 dem rei Augustinus nobis est testis lo-  
 cuples, ita inquiring. Atque etiam bea-  
 ta illa Ciuitas magnum bonum in se  
 videbit, quod nulli superiori vllus in-  
 ferior inuidebit, sicut enim non inui-  
 dent Archangelis Angeli, tamque no-  
 let esse vnusquisque, quod non acce-  
 pit: quam nec in corpore esse vult o-  
 culus qui digitus est, cum membrum  
 vtrum

Utrumque contineat, totius carnis partata compago. Sic itaque habebit, inquit, donum aliud, alio minus, ut hoc quoque donum habeat, nec velit amplius. Sed ego illud solum certamen in beatorum mentibus mansurum esse crediderim, ut scilicet Deum intelligant, eiusque immensam potestatem, & sapientiam spectent, atque perpendant. Quid loquar, summam charitatem, consensionem, æquanimi-  
tatem, constantiam? omnia denique bona, quæ in cælo sunt? Erit ergo, inquit Augustinus, illius civitatis Dei, & una in omnibus & in singulis, inseparabilis voluntas, ac libera ab omni malo liberata, & omni bono impleta, fruens indeficienter æternorum iucunditate gaudiorum. De gloria, hoc dicit Aposto-

*lus: Cùm CHRISTVS apparue-*  
*rit vita nostra, & vos cum ipso ap-*  
*parebitis in gloria. Nec tacebo il-*  
*lius vitæ perennæ gaudium, quod nullo*  
*la inquam tristitia confundet, nulla*  
*ægritudo corrumpet, nulla vetustas*  
*obruet. Semper enim & assiduè me-*  
*ditantes res diuinas, in quibus inest*  
*summa letitia, summaque iucunditas,*  
*beatorum animi læti erunt, nec iam*  
*poterit quicquàm eis accidere, quod*  
*gaudium illud, mentemque perturbet.*  
*Nihil enim ibi fortuna poterit, quæ*  
*nunc falso rebus humanis dominari*  
*putatur, quoniam nec offendi, nec de-*  
*cipi, nec violari poterunt, exsuscitata*  
*in meliorem lucem corpora, nec vllum*  
*omnino iniuriæ genus perpeti. Nec*  
*verò peccandi beatis potestas erit, non*  
quo

quo liberum tollatur arbitrium: sed divina gratia & Spiritu sancto cooperante, qui nihil nisi sanctum, nisi rectum, nisi Deo acceptum in illorum mentes, & cogitationes patietur irrepere, quod quidem ab Augustino his verbis expressum est: Nec ideo, inquit, liberum arbitrium non habebunt, quia peccata eos delectare non poterunt. Magis quippe erit liberum à delectatione peccandi, usque ad delectationem non peccandi indeclinabilem libertatem. Nam primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primum creatus est rectus, potuit non peccare: sed potuit & peccare. Hoc nouissimum eò potētius erit, quò peccare non poterit. Verum hoc quoque Dei munere, non suae possibilitate

te naturæ. Quid illud diuinum donum  
 omnium longè maximum, & prestan-  
 tissimum dixerim? immortalitatem  
 scilicet, qua beati donabuntur. Quid  
 hoc vno expetibilius, optare à Deo  
 possumus, quòve ipsi Deo similiores,  
 & propiores fiamus? Est enim Dei  
 propria immortalitas, quam tamen &  
 Angelorum, & beatorum Spirituum  
 ordinibus, magnitudine pietatis in nos  
 ve impartire dignatus est, vt cum il-  
 lo in perpetuum conuiuamus, eius ma-  
 iestatem tota mente, totoque animo  
 contemplantes, venerantesque. Si qui-  
 dem quicquid mortale est, è corpori-  
 bus nostris subtrahet, illaque amplius  
 morti mancipata esse non sinet, qua  
 securitate, quæ potest esse maior?  
 Nam si Mors omnium rerum, que

aut corpori, aut animo possint accide-  
 re, formidolosissima & acerbissima  
 est? ut fert communis opinio, nihil  
 profectò præstantius à Deo mortali-  
 bus donari potuit, quàm immortalitas.  
 Quòd si beati putantur in hac vita,  
 qui ad centum annos vixerunt, quan-  
 to beatiore iudicandi sunt, qui sem-  
 per viuunt? præsertim cùm hæc vita  
 quam viuimus in terris, non modò  
 Theologorum nostrorum, verùm e-  
 tiam Philosophorum veterum senten-  
 tia, mors sit: illa autem cælestis, verè  
 vita: quam nulla sit vetustas, ut di-  
 xi, nulla temporis longinquitas con-  
 sumptura. O felicem, ò faustum diem!  
 cùm in eam sedem tanto ornatu præ-  
 ditam, tanta siderum varietate di-  
 stincta, peruenerimus, vbi euo frue-

Mors vul-  
 go hor-  
 renda.



mur sempiterno. Hæc est ea vita, cuius  
 adipiscendæ gratia, Stephanus pro-  
 thomartyr lapidibus cædi sustinuit.  
 Hæc est ea, propter quam Ioannes Ba-  
 ptista, capitale supplicium pati non  
 dubitauit. Hæc est ea, cuius causa,  
 Petrus & Paulus Apostolorum prin-  
 cipes, alter ceruicem securi permitte-  
 re, alter in crucem tolli non recusa-  
 runt. Hæc est ea, ob quam Bartho-  
 lomæus, se uiuentem, cute nudari pas-  
 sus est. Hæc est ea, propter quam Se-  
 bastianus sagittis, ad necem configi  
 non renuit. Hæc est ea, propter quam  
 Laurentius flammis subijci, & in mo-  
 dum agni torreri, non timuit. Hæc de-  
 niq̄ue est ea vita, propter quam mul-  
 ti, & propè innumerabiles, clarissimi  
 & eruditissimi viri, huic seculo ab-  
 renun-

renuntiauerunt, sibi que ipsis omnibus humanis rebus interdixerunt.

Hæc sunt, Antoni & Lamola, quæ de Vita beata sentire mihi videor, videlicet ubi sit, cuiusmodi sit, quantum ex doctorum nostrorum lectione percepi. Ad quam vitam perueniamus aliquando, ut cum illo beatorum cœtu perpetuò congaudere valeamus. Quare, nisi quid aliud vultis, huic quæstioni modum statuam. ANTON. Tu certè cum argumentis, tum auctoritatibus grauissimorum Theologorum, adeò mihi hac quæstione satisfecisti, puto item Lamolæ, ut Theologum alium, præter te, desideremus neminem: atque de ea re (de me loquor) nulla mihi dubitatio, vel obscuritas, relicta sit: ut te non minus præstan-

tem Theologum, quàm Oratorem putem. Et planè cum mente, & cogitatione complector, quaecunque in hanc sententiam modò dixisti: nescio quidnam addi possit, quò notior esse queat humano generi vitæ felicitas. Prætereà iam advesperascit, nosque hortatur diei tempus, ut animum à labore releuemus, nisi quid aliud Lamola noster velit? LAMOLA. Non est profectò, quod amplius de re ista disputari desiderem, ita est mihi omnis penitus sublata dubitatio, si qua animo prius infederat. Et sanè, mi præceptor, nihil est, quod pridem in te miratus sum magis, quàm quæ nunc ex te audiui de Theologia dicente. Ego planè ignarus eram, tam bonum Theologum te esse, quem sciebam semper

Rhe

Rhetoricam artem professum (ex qua quidem magnam gloriam adeptus es) etatemque in ea omnem contriuisse.

GVARINVS. Facitis amicè vterque & pro nostra consuetudine, qui semper & omni sermone, atque in hac quæstione perpetua, tantum mihi tribuistis, quantum mihi iure tribui posse, nec agnosco, nec postulo. Quòd me Theologum præstantem asseris, nolim mihi tantum oneris imponas. Scio enim quàm procul absim ab ea facultate. Sed si me Theologorum studiosum appellaueris, non mentière, & id à te dici, facilè patiar. Quòd verò vtrique vestrum satisfactum à me fuerit, vehementer gaudeo. Id enim est mihi omnium optatissimum, quæ mihi possunt in vita contingere, si ingenio

BAR. PAC. DE VITAE FELI.  
nio & industria mea, quæ vobis grata  
& incunda sint, quæve comprobe-  
tis ipsi, præstare possim. Tum fas  
est dicendi sine, reliquum  
diei tempus deambu-  
lationi datum  
est.

**LAVS CHRISTO.**

# INDEX LOCORVM

*Communium in hoc Dia-*

*logo contentorum.*

Prima pars, de Fe-		Musica.	32
licitate vitæ.		Poëtica	32
Diuitiæ.	5	Secunda pars, de	
Ciuis opulentus.	11	Summo bono.	
Aulici.	13	38.	
Militia.	16	Voluptas.	42
Gloria.	18	Doloris priuatio.	44
Agricultura	22	Indolentia	45
Sacerdotum vita.	26	Virtus.	46
Bonæ artes.	28	Scientia.	46
Rhetorica.	28	Immortalitas	50
Philosophia.	30	Deus.	32
Aethica.	30	Æterna vita.	53
Physica.	31	Æterna pax.	54
Medicina,	32		

**FINIS.**


INDEX LOCORVM

Continentium in hoc Die. 22  
lego continentur.


Prima pars de Fe. 23  
Mores. 23  
Poetica. 23


23	Secunda pars de	23	Divina.
23	Summo bono.	23	Causa operantis.
23	28.	23	Aulis.
23	Voluptas.	23	Milina.
23	Doloris punitio.	23	Gloria.
23	Indolentia.	23	Argentum.
23	Virtus.	23	Sacerdotum vita.
23	Scientia.	23	Bona vita.
23	Innocentia.	23	Mores.
23	Deus.	23	Philosophia.
23	Alma vita.	23	Actus.
23	Alma pars.	23	Physica.
23		23	Milina.


FINIS














1921  
Ligatures with y and z of the 14th c.

fuorit. ut accipiat eam frater eius  
uxorem. & suscipiet semen fr̄i suo.  
Septem ergo fratres erant. Et primus  
accepit uxore. et mortuus est sine  
filio. Et sequens accepit illā. et  
ipse mortuus est sine filio. Et tertius  
us accepit illā. Similit̄ & om̄s septē.  
et n̄ reliquerunt semen. & mortui  
sunt. Nouissima omnium. mortua ē  
et mulier. In resurrectione ergo  
cuius eorum erit uxor. Siquidem  
septem habuerunt eā uxorem. Et

5252-56.

la  
pi  
Re  
m  
ph  
da  
te  
Ve  
pe  
Na  
br  
a

omnifant. Lactum et terra transi  
bunt. uerba uirtutē mea non transi  
bunt. **N** ducite autē uobis ne  
forti aduentur corda uirā in  
cupula et ebrietate et curis huius  
uitae. et super ueniat in uos re  
pentina dies illa. Tamquam laquei  
us enim super uenit in omīs. qui  
sedent super faciem omnis terre. Lig  
late utaq. omni tempore ciantes  
ut digni habeamini fugere ista  
omīa que futura sunt. Et stare

